MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81149-21

AUTHOR:

KAN, ALBERT HENRIK

TITLE:

DE IOVIS DOLICHENI...

PLACE:

GRONINGAE

DATE:

1901

Master Negative #

92-81149-21

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books        FUL/BIB   NYCG92-B43712          Acquisitions     NYCG-NEH
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG92-B43712              RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:       AD:12-01-92
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:       ATC:        UD:12-01-92
  CP:ne       L:lat    INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?      CON:???
  PC:s       PD:1901/           REP:?    CPI:?    FSI:?      ILC:????    II:?
  MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:          COL:       EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Kan, Albert Henrik.
  245 10   De Iovis Dolicheni cultu‡h[microform].‡bDocumenta collegit collectaque
          praefatione et notis‡cinstruxit Albertus Henricus Kan.
  260      Groningae,‡bApud J. B. Wolters,‡c1901.
  300      115 p.
  LDG      ORIG
  QD       12-01-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-4-93 INITIALS JA

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

no 7

DE

IOVIS DOLICHENI CULTU.

DOCUMENTA COLLEGIT COLLECTAQUE

PRAEFATIONE ET NOTIS

INSTRUXIT

ALBERTUS HENRICUS KAN

ROTERODAMENSIS.

SPECIMEN LITTERARIUM

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GUILIELMI KAPTEYN

PHIL. NAT. DOCT. IN FAC. PHIL. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE CAPESSENDIS FACULTATIS EXAMINI SCRIPTOR SUBICIET

D. V M. IULII A. MCMI HORA IIS P. M.

GRONINGAE, APUD J. B. WOLTERS, 1901.

STOOMDRUKKERIJ VAN J. B. WOLTERS.

PARENTIBUS,

PROFESSORIBUS, PRAECEPTORIBUS

HUNC LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI TESTEM

DEDICAT

SCRIPTOR.

I.

CUINAM DEO ORIENTALI JUPPITER DOLICHENUS COMPARANDUS SIT.

Iovem Dolichenum ab oppido Commageno DOLICHE ét nomen ét originem traxisse iam pridem viri docti Braun [1]) et Seidl [2]) probaverunt, idque potissimum loco Stephani Byzantii freti (ed. Meineke I s. v. *Δολίχη* pg. 235), quem cum Hettnero [3]) sic legas: *ἔστι καὶ Δολίχη πόλις τῆς Κομμαγηνῆς· ἐθνικὸν Δολιχαῖος, ἀφ᾽ οὗ Δολιχαῖος Ζεύς· οἱ δ᾽ ἐπιχώριοι Δολιχηνός λέγουσιν.*

Fuit semper urbs tenuis nec magni momenti, quamquam huc viae Samosatis et Zeugmate ad mare ducentes conveniebant et aquae calidae in tabula Peutingeriana loco tribuuntur, cfr. Seidl o. c. pg. 10. Saeculo demum altero p. Chr. n. paululum increvisse videtur, cum Ptolemaeus primus eam memoret, Strabo neglegat. Qui praeterea eius urbis res tetigerunt scriptores antiqui, medii aevi, recentiorum temporum, eos diligentissime collegit Seidl o. c. pg. 10 seqq., cfr. etiam S. Reinach, *Dictionnaire des Antiquités* II s. v. Dolichenus pg. 330 ann. 4 et 6. Incolarum ,,*Δολιχαίων*'' in nummis mentio est, qui omnes Marco Aurelio, Lucio Vero, Commodo imperantibus cusi sunt, cfr. Mionnet, *Déscription des médailles antiques Grecques et Romaines* V pg. 112; *Suppl.* VIII pg. 84 et W. Wroth, *Catalogue of the Greek coins of Galatia, Cappadocia and Syria* (London 1899). Mommseno denique auctore (annotatio ad C. I. L. III Suppl. I 6712, 6713, 6714) Doliche una erat ex ,,quattuor civitatibus Commagenis'' quae initio saeculi tertii quattuor columnas in honorem Septimii Severi, Caracallae, Getae, Iuliae Domnae apud pontem in flumine Chabina (haud procul a Samosatis) erigendas curaverunt. E reliquis inscriptionibus —

---

[1]) Jupiter Dolichenus, Einladungs-Programm zu der am Geburtstage Winckelmann's den 9 December 1852 stattfindenden Generalversammlung des Vereines von Alterthumsfreunden im Rheinlande, Bonn 1852, pg. 6 et 7.

[2]) Ueber den Dolichenus-cult, Sitzungsberichte der philosophisch-historischen Classe der Wiener Akademie XII, Wien 1854 (Nachträgliches über den Dolichenus-cult XIII pg. 233 seqq.; extat etiam editio separata) pg. 10 seqq..

[3]) De Iove Dolicheno, Diss. Bonnensis 1877, pg. 2 ann. 2.

ut C. I. L. III 3490, Eph. ep. IV 894 c, 18 — nihil erui potest, quo notitia urbis ulla ex parte augeatur.

Quodsi, quae de urbe in situ ipso supersunt, noscere cupias, librum consulas, qui a viris doctis Humann et Puchstein compositus, *Reisen durch Kleinasien und Nordsyrien* (Berlin 1890) inscribitur, et tabulam geographicam ab Henrico Kiepert operi additam. Ubi olim fuit Doliche, hodie Aintab extructa est, urbs pro inopia harum regionum magna atque opulenta, cfr. Humann und Puchstein o. c. pg. 169 seqq. et 399 seqq.. Ceterum nomen antiquum conservatum est in ,,Tell Dülük'', quo nomine mons prope Aintab situs significatur. In eius culmine sacellum sancto cuidam Islamitico dicatum est, quem Puchstein deo nostro successisse arbitratur o. c. pag. 400.

Qui historiam huius terrae altius repetiverit, Hittitas antiquissimis temporibus ea loca tenuisse comperiet. Quamvis late de ea gente eiusque origine et propagatione sententiae virorum doctorum discrepent, tamen imperium vel imperia huius nationis ab anno ± 1500 a. Chr. n. usque ad ± 900 in Syria septentrionali floruisse inter omnes convenit. Fuit haec terra quasi nucleus, circum quem reliquae civitates Hittiticae in Cappadocia, Cilicia, Syria, trans Euphraten dispositae erant[1]). Ibi Carchémis, urbs potentissima Hittitarum, et altera, quae hodie Márasch dicitur, conditae erant, quarum illa saepius in inscriptionibus Aegyptiis et Assyriis commemoratur. Utraque insignibus reliquiis Hittiticis conspicua est. Ibique iam tum Doliche colebatur, si quidem Maspéro iure nomen urbis, quod in indice, ex pago Aegyptio Karnak in lucem prolato, a v. d. H. G. Tomkins[2]) ,,Talekh'' explicatur, ,,Dilakhi'' legit[3]), quod postea in ,,Doliche'' corruptum sit.

Juppiter autem Dolichenus idem est ac deus summus Hittitarum. Quod ne nimis audacter asseverasse videar, argumenta aliquanto fusius exponere in animo est. Quae tu, candide lector, sine ira et studio expendas, quaeso, meamque coniecturam, ut non omnino probabis, at certe *probabilem* esse concedas.

Recentissimis demum temporibus viri docti religionem Hittiticam perscrutati sunt, quorum in numero P. Jensen, me quidem iudice, primum locum obtinet. Ille deorum triadem Olympo Hittitico prae-

---

[1]) Tabulae geographicae apud Conder, The Hittites and their language (Edinburgh and London 1898) et apud Jensen, Hittiter und Armenier (Strassburg 1898) ostendunt, quibus in locis monumenta Hittitica inventa sint.

[2]) On the Topography of Northern Syria with special reference to the Karnak Lists of Thothmes III, Transactions of the Society of Biblical Archaeology IX, 2 pg. 249 n. 292.

[3]) Cfr. Gaston Maspéro, Histoire ancienne des peuples de l'Orient classique II (Paris 1897), tabula geographica pg. 143.

esse censet[1]) — deum supremum tempestates et fulmen regentem, quique agris fertilitatem donat — uxorem eius, Magnam Matrem — deum denique belli, Magnae Matris amatorem, quem Jensen pro Sole habet, haudscio an recte. Quibus nominibus dei nuncupentur difficillimum est exploratu. Deum supremum cum Jenseno[2]) ,,Sanda'' vocaverim, deam cum viro doctissimo W. H. Ward[3]) ,,Ishara'', deum belli cum Jenseno[4]) ,,Herakles Sanda'' vel brevitatis gratia ,,Herculem''.

Hos deos coniunctos invenimus in celeberrima illa pompa apud pagum Boghaz-Keui (Cappadocia) saxo insculpta[5]).

Vides Sandam — deum barbatum a sinistra — dextrorsum incedentem, quem taurus comitatur.



Gladio accinctus est, dextra gerit clavam vel sceptrum, e cubito dextro lacinia parva, a tiara dei demissa, pendet[6]). Manu sinistra signum protendit, [hieroglyph], cuius superior pars, [hieroglyph], ,,numen'' tantum indicat, inferior autem, [hieroglyph], (tridens) nihil aliud nisi fulmen esse potest. Tridentem enim fulminis signum esse et Jenseni opinio est[7]) et G. Fougères asseverat[8]). Apud Hittitas certe hoc telum sic sculpi solere duobus ectypis Hittiticis probatur, quae mox tractaturus sum. Sed

---

[1]) Hittiter und Armenier pg. 175 seqq..

[2]) o. c. pg. 153.

[3]) Hittite Gods in Hittite Art, American Journal of Archaeology II series vol. III 1899 n. 1 pg. 30.

[4]) o. c. pg. 168.

[5]) Ectypum sexcenties fere tractatum et figuratum est. Dignissima opera, quae notentur, haec sunt:

Perrot et Guillaume, Exploration archéologique de la Galatie et de la Bithynie tab. 44, 45.

Perrot et Chipiez, Histoire de l'art dans l'Antiquité IV tab. VIII et fig. 309, 313.

Wright, The Empire of the Hittites II ed. tab. XXIV 3.

Humann und Puchstein o. c. tab. photogr. X secundum novam imaginem gypseam, quae museo Berolinensi illata est.

[6]) Hanc laciniam dei tiarae affixam esse tametsi ex imagine nostra parum perspicuum est, probatur verbis Humanni o. c. pg. 60 et 61.

[7]) o. c. pg. 167.

[8]) Dict. des Ant. II, 2 s. v. Fulmen pg. 1357. Nota etiam hieroglyphica, [hieroglyph], secundum Conderum o. c. pg. 222 n. 66, cfr. pg. 240 ,,potentia'' significat, quod sententiae quoque nostrae favet.

primo alterum deum masculinum breviter describamus. Stat sinistrorsum versus in bestia, quam pro panthere vel cane[1]) habeas. Aeque ut Sanda gerit gladium, dextra scipione nititur, sinistra bipennem portat, cuius acies sinistra dextra brevior est[2]); e cubito sinistro lacinia pendet.

Deos illos, Magnae matris dico maritum et adulterum, cum res Hittitica adhuc floreret, in unum confusos esse non solum auctoritate Jenseni[3]) fretus affirmaverim sed etiam ipsis duobus ectypis Hittiticis comparatis, quae nuper citavi. Quorum unum anno 1888 repertum est in pago Sendschirli, alterum d. 22. m. Aug. anno 1899 Babylone in regia; edita sunt ambo a societate, quae vocatur „Deutsche Orient-Gesellschaft"[4]). In illo (Sendschirli) deus barbatus, brevi tunica militari indutus, minitabundus dextrorsum incedit, dextra elevata bipennem vibrans, qualem supra descripsimus; sinistra tenet fulmen ex tribus tantum radiis compositum, qui tamen infra manum dei non continuantur, qua ratione semper fere in imaginibus recentioris aetatis fulmen fictum est. Cingulo lato portat magnum gladium. Ex tiara lacinia sub umero dextro pendet.

In altero ectypo (Babylon) deus fere similis sculptus est, nisi quod totus habitus eius maiorem quietem exprimit et potius consistere quam incedere videtur. Tiara eius cornibus tauri ornata est.

Hic deus igitur, quippe qui cum fulmen, Sandae insigne, tum bipennem, telum Herculis, gerat, non solum *„pater altitonans"* Hittitarum sed etiam *bellorum moderator* habeatur necesse est.

Iamvero inquiramus, cuiusnam indolis deus Juppiter Dolichenus apud Romanos coleretur, qualisque effingi soleat. Quem deum solarem esse complures viri docti temere, hercle, atque alius alium describentes praedicaverunt[5]). Dolichenus autem in monumentis hunc

1) Sic Jensen, Die Inschrift I von Jerabis, Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft 53, (1899) pg. 461.

2) In nulla imagine haec bipennis accurate expressa invenitur; Humann o. c. pg. 63, qualis forma esse debeat, indicat, at tabula photographica X obscurior est, quam ut quidquam discernere possis. J. G. Milius, cuius amicitiae figuras acceptas refero, in bipenni delineanda praeter verba Humanni duabus photographiis usus est, de quibus vide infra.

3) o. c. pg. 162 et Zeitschr. d. Deutschen Morgenl. Gesellsch. 53 (1899) pg. 454.

4) Die Hittitische Inschrift gefunden in der Königsburg von Babylon am 22 August 1899 und veröffentlicht von Dr. Robert Koldewey (Leipzig 1900).

5) Cfr. e. g. Marquardt, Röm. Staatsverwaltung III pg. 84 ann. 2. Friedlaender, Sittengeschichte 5e ed. III pag. 502. Jean Réville, La religion sous les Sévères pg. 50. C. L. Visconti, Bulletino della Commissione archeologica municipale 1875 pg. 204—205. O. Marucchi, Bulletino della Commissione archeologica comunale di Roma 1886 pg. 135. F. Hettner, De Iove Dolicheno pg. 4. S. Reinach, Dict. des Ant. II s. v. Dolichenus pg. 330.

fere in modum repraesentatur: Stat thorace indutus, plerumque barbatus, pileatus galeatusve, in tauro dextrorsum gradienti. Manu dextra elevata bipennem vibrat, sinistra tenet fulmen. Gladio saepenumero accinctus est et super thoracem cingulo cinctum interdum paludamentum gerit, cuius in quibusdam monumentis lacinia ex umero dextro demissa est.

Estne autem verisimile Solem sic effictum esse? Fulmen e. g. huic numini convenire ecquis contenderit? Dolichenus praeterea, quamquam in inscriptionibus aliquoties una cum Sole memoratur, numquam tamen Sol appellatur.

Immo Juppiter noster fulmen gestans, quod in nullo monumento integro (excepto fortasse n. 132) desideratur, nemo nisi *deus tonans* esse potest, sed idem *deus militaris* est, quod et armatura eius et cultores, qui maximam partem milites sunt, et castra, ubi imprimis colitur, et dii militares Victoria, Mars, Hercules, Minerva, qui una cum Dolicheno in monumentis figurati inveniuntur (cfr. pg. 22) demonstrant.

Naturam itaque Dolicheni prorsus cum illius dei Hittitici congruere cognovimus, quem ex Hercule et Sanda compositum hoc nomine porro indicabo.

Quin et alia argumenta praesto sunt, magis externa, ut ita dicam, nec tamen minus gravia, quibus rationem quandam inter Sandam et Dolichenum intercedere confirmatur. Ut iam bipennem, fulmen, gladium, cingulum, utrique deo communia, praetermittam, pauca de lacinia illa disputanda sunt. Quae si in Dolicheni monumentis Romanis pars tantum paludamenti credenda esset, nihil esset, quod miraremur. Sed in duobus ectypis nn. 89, 90[1]), ubi lacinia cernitur, paludamenti ne vestigium quidem apparet. In celeberrima autem tabula Lussoniensi n. 28*b*. — Dolichenus ibi bis expressus est — aliquid sculptum est, quod artifex sane paludamento assimilavit, sed tam parum excoluit, tam indiligenter reddidit, ut potius ornamento dei, spectatoribus Romanis invisitato, formam unicuique intellegendam dare voluisse videatur quam revera Dolicheno amiculum imperatoris Romani tribuere. Porro si laciniam, qualis in loculo quarto huius laminae (n. 28*b*) ex umero Dolicheni dependet, cum lacinia dei Hittitici nuper Babylone reperti (vide supra) comparamus, vix quidquam hanc ab illa forma discrepare concedere oportet, neque nimis confidenter laciniam illam in hisce Dolicheni monumentis ex antiquissima imagine dei Hittitici

1) Etsi a notissimo falsario Pyrrho Ligorio tradantur, tamen imaginem Dolicheni in altero (n. 90) utique genuinam esse probare studui pg. 81.

desumptam asseverare licet. Fieri tamen potest — ipse fateor — ut artifices Romani imperiti paludamentum dependens in ectypis elegantius perfectiusve reddere nescierint.

Id tamen primum Dolicheni monumenta contemplantibus sub oculis cadit, quod deus saepissime in tauro stans effingitur. Taurus idem Sandae additus est in pompa apud Boghaz-Keui (vide imaginem pg. 3), in ectypis autem, Babylone et Sendschirli repertis, deest. Sed deum saepius *in tergo tauri stantem* repraesentari variis ex rebus colligi potest.

Nam primum, quod Humann vere observavit argumentisque adstruxit [1]), in hac parte Asiae, deum cum animali ei sacrato hunc in modum exprimere moris est, quem apud Hittitas obtinuisse cum figurae apud Boghaz-Keui, tum magnus numerus parvarum statuarum et cylindrorum Hittiticorum testificantur [2]). Deinde ipse deus, de quo agitur, Sanda, tauro insistens conspicitur in cylindro Hittitico [3]), quamquam Ward hic potius Herculem figuratum esse credit, quem pro deo supremo habet. Constat quidem deum supremum hic intellegendum esse; cui tamen nomen Sanda aptius est quam Hercules (vide supra). Postremum Ramman, qui apud Assyrios Sandae respondet et fortasse etiam aliqua ex parte Hittiticae originis est [4]), in tauro stare solet [5]).

Sandae obversa in ectypo apud Boghaz-Keui dea, cui nomen Isharae indidimus, tergum leaenae vel pantheris premit. Quid supra caput pantheris expressum sit, haud facile discernas. Humann, postquam ipse saxum diligentissime examinavit, Perrotum errasse affirmat, cum bovis partem priorem, sicut apud Sandam visitur, esse crederet [6]). Verum tamen hoc animal Isharae sacrum est, quia crebro in tergo eius stans reperitur [7]). Inter alia animalia deae consecrata ibex quoque numeratur [8]). At iidem quadrupedes, leaena, bos vel potius vacca, ibex [9]) deam portant, quae in nonnullis monumentis una cum Dolicheno conspicua est.

Hoc denique memoratu dignum est, in compluribus ectypis Hitti-

---

1) o. c. pg. 61 ann. 2.

2) Cfr. e. g. Perrot et Chipiez o. c. IV fig. 367, 374, 383, 384, Ward l. l. fig. 23, 29, 33, 34, 42.

Nummi quoque urbis Tarsi hic memorandi sunt, de quibus vide infra pg. 9.

3) Ward l. l. fig. 23 pg. 21.

4) Ward l. l. pg. 7.

5) Jensen o. c. pg. 143, ubi huius dei effigiem invenias indicat. Vide etiam Ward l. l. fig. 6.

6) o. c. pg. 63.

7) Ward l. l. pg. 20 et fig. 29, 33, 34; cfr. etiam Jensen o. c. pg. 165 seqq..

8) Ward l. l. fig. 31, 39.

9) nn. 154 (leaena), 63, 117? (vacca), 28*b* (ibex).

ticis deam, plerumque sedentem, exsculptam esse, quae Jenseno eadem atque Ishara esse videtur [1]). Manu dextra interdum instrumentum quoddam rotundum protendit sive discum sive speculum [2]). Nec profecto casui tantum tribuendum est, quod dea Dolicheni comes in monumentis 90, 91 [3]), 154, eadem manu eandem rem gestat.

In monumentis Dolicheno sacris nullo negotio alia deprehendas, quae Hittiticam originem dei comprobare videantur. Velut aquila saepius redit magisque oculis obtruditur — in uno mon. n. 26 tres aquilae sculptae sunt — quam ut a posterioris demum aetatis opificibus Iovi comitem datam esse putes. Revera avis illa artis Hittiticae notabile signum est [4]). Celeberrima est aquila Hittitica biceps, in saxis apud Boghaz-Keui [5]) et Euiuk [6]) conspicua, quae postea in insigne imperii Germanici et Russici abiit [7]).

Stella quoque in tabula 28*a* Lussoniensi iuxta caput Dolicheni caelata ad morem Hittitarum spectare videtur, qui, si quidem Condero [8]) fidem habemus, ita numen indicare solebant.

„Quid" inquies „num deum Hittitarum, nomine Sandam, etiam sub imperatoribus Romanis Dolichae adoratum esse censes, cum huius nationis numquam apud scriptores Graecos [9]) nedum apud Romanos mentio fiat, iamque annis fere 800 a. Chr. n. prorsus ex historia evanuisse videatur?" et iure, etiamsi originem Hittiticam argumentis supra expositis satis demonstratam esse concedas, quo sub nomine, qua specie deus usque ad Romanos pervenerit, a me petas. Equidem rem ita se habuisse suspicor.

Hittitae, ipsi stirpis Indo-Germanicae [10]), nequaquam gentes Semiticas, quarum in terram irruperant, aut exterminaverunt aut ex-

---

1) o. c. pg. 165, 166.

2) Cfr. Perrot et Chipiez o. c. IV fig. 248, 280; Humann und Puchstein o. c. pg. 380 fig. 57 et tab. XLV, 2, cfr. praeterea tab. XLVII, 4.

3) Haec monumenta tradit quidem Ligorius iste falsi iterum iterumque compertus. Ectypo tamen n. 91 fidem sane habere licet cfr. pg. 80, 81.

4) Ward l. l. pag. 20 cfr. fig. 31, Maspéro o. c. III pg. 39, Revue Archéologique Series III, tom. VI pg. 312 fig. 16.

5) Humann und Puchstein o. c. tab. X; vide praeterea locos, quos pg. 3 ann. 5 citavi.

6) Perrot et Guillaume o. c. tab. LXVIII, inde Perrot et Chipiez o. c. IV fig. 343 et Wright o. c. tab. XXIII.

7) Perrot et Chipiez o. c. IV pg. 682 seqq..

8) o. c. pag. 139, 157, 220, 221 cfr. pg. 239 n. 47; cfr. etiam Ward l. l. pg. 20.

9) Κήτειοι, quos Homerus Od. XI 521 nominat, an iidem sint ac Hittitae (sic W. E. Gladstone Homeric Synchronisms pg. 174, 182, Wright o. c. pg. 190 seqq., X, alii) perquam dubium est.

10) Sunt, qui Scythas (Hommel) vel Mongolos (Conder) esse credant.

pulerunt. Syriam certe septentrionalem per aliquot saecula promiscue cum Syris Semiticis incoluisse exploratum est, a quo populo utpote humaniore et doctiore haud pauca, quae ad cultum pertinent (ut sculpturam) acceperunt. Religio quoque alterius gentis ad alterius conformandam multum valuit[1]). Sic etiam sub deo Hittitico, Dolichae praeside[2]), antiquior deus Syriacus latet, quem Hittitae tantum Sandae suo assimilaverunt suumque in morem exornaverunt. Quisnam deus ille indigena fuerit, coniectura assequi cupienti iam statim in mentem venit deus Rashouf, unus ex innumeris ,,Baalim''[3]), ex quibus Syrorum pantheon compositum est. Rashouf enim, deus fulminator, singulis urbibus saepe praepositus, una cum dea Kadesh, quam leaena portare solet, colitur ornatuque militari insignis manu securim vibrat[4]). Quantum huic deo cum Sanda commune sit, manifestum arbitror. Sed, utut est, huc tantum refert, Sandam cum τῷ Baal urbis Dolichae probabiliter confusum esse, nec quidquam prohibet, quominus eo sub nomine a Romanis inventus sit, cum Baalim per totam Syriam adhuc Romanorum aetate colerentur. Certe argumenta satis gravia afferre quibus Dolichenum non solum apud Syros posteriorum saeculorum Baal audisse sed etiam pro deo supremo eiusdem nominis (cfr. ann. 3) habitum esse corroboratur, nequaquam arduum est, ut de auctoritate vv. dd. Ed. Meyer[5]), Franz Cumont[6]), von Baudissin[7]), Hettner[8]), Jean Réville[9]), aliorum taceam, qui fere eadem

---

[1]) Jensen o. c. pg. 176.

[2]) Apud Hittitas enim sui quamque urbem dei tutela frui ex foedere patet, quod rex Aegyptiorum Ramses II cum Hittitarum rege pepigit, ubi dei tutelares singularum urbium Hittiticarum testes invocantur; cfr. Maspéro o. c. II pg. 401 seqq., Wright o. c. pg. 71 seqq..

[3]) De ratione, quae inter „Baal" (— dominus), deum supremum, et „Baalim" (plur.), qui diversis locis colebantur, intercedit, ante alia verba viri doctissimi von Baudissin citare iuvat (Herzog, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche 3e ed. II s. v. Baal pg. 327) „Baal war ursprünglich . . . . epitheton *der männlichen Gottheit überhaupt.* Dieses Wort wurde dann, als verschiedene solche Gottheiten neben einander verehrt wurden, *Bezeichnung des Hauptgottes jedes Ortes;* denn nur dieser konnte als Besitzer oder Herr des Ortes bezeichnet werden".

[4]) Maspéro o. c. II pg. 155 seqq.; imprimis pg. 156 ann. I. Deus figuratus est o. c. pg. 159, Perrot et Chipiez o. c. III pg. 71, fig. 24, Ward l. l. pg. 3, fig. 1.

[5]) Apud W. H. Roscher, Ausführliches Lexikon der Mythologie I s. v. Dolichenus col. 1191 et s. v. Baal col. 2875.

[6]) Textes et Monuments figurés relatifs aux mystères de Mithra I (Introduction) pg. 244 ann. 2.

[7]) l. l. pg. 344.

[8]) o. c. pg. 4.

[9]) La Religion sous les Sévères pg. 71.

censuerunt. Nam primum Romani Baalim vel τὸν Baal, deum supremum, Iovem appellare solebant, tum etiam τοῦ Baal, dei supremi, bos sacrum animal erat, quo facilius Sanda huic ipsi deo assimilari potuit. Deinde si Dolicheno pyramides (nn. 28, 41, 58, 63, 145) sacrari recordamur, fieri non potest, quin lapides, Chammānim dictos, metae similes, comparemus, qui in templis τοῦ Baal vel τῶν Baalim in aris vel iuxta positi erant. Num forte columellae, quae tres numero in inscriptione n. 64*b* memorantur, iidem Chammānim sunt? In altera inscriptione n. 75 Dolichenus ,,conservator totius poli'' et, ,,exibitor'' (,,qui alimenta praebet'' cfr. sub n. 78) nominatur, quae epitheta optime quadrant in τὸν Baal, deum supremum, qui caeli regnum tenere idemque almus deus generator esse vulgo credebatur[1]). Uva quoque in pyramide Lussoniensi (n. 28*b*) sculpta τῷ Baal, deo supremo, vulgare fecunditatis insigne est[2]). Capita denique arietum in duobus Dolicheni monumentis nn. 26, 126 conspicua fortasse explicanda sunt e statua τοῦ Baal-Hammon: Deus cornibus arietinis caput ornatus sedet in solio, in quo duo arietes cubitalium vice funguntur[3]).

Si cui nondum persuasi, exemplum alterius dei Hittitici afferre possum, qui eandem viam emensus adhuc saeculis Christum sequentibus Graeco sub nomine colebatur, deum dico Tarsi regnantem. In longa serie nummorum huius urbis deus ille figuratus est, stans in leone vel panthere cornuto, manu dextra coronam porrigens, sinistra bipennem tenens. Prope deum in area quorundam nummorum stella conspicitur (cfr. pg. 7), in aliis vero aedicula in pyramidis modum erecta, in cuius fastigio aquila sedens alas quatit, deum cum animali suo continere videtur[4]). Haec numinis effigies, quod Tarsum condidisse tradebatur[5]), quin ad antiquissimum typum Hittiticum referenda sit, vix quisquam hodie dubitaverit. Jensen deum belli, qui in ectypo apud Boghaz-Keui Magnam Matrem subsequitur (vide imaginem pg. 3) eundem esse putat[6]), nec video, cur viro peritissimo fidem derogemus, cum uterque deus pantheri vel eiusmodi beluae insistat,

---

[1]) Cfr. e. g. Rawlinson, Phoenicia pg. 323 seqq.

[2]) Rawlinson o. c. pg. 324.

[3]) Perrot et Chipiez o. c. III fig. 73.

[4]) Nummi Tarsenses alii aliis in operibus editi sunt. Nuperrime de iis egit Imhoof-Blumer, Journal of Hellenic Studies 1898 pg. 169 seqq., cfr. eiusdem Monnaies grecques pg. 366, 433, 435, Thier- und Pflanzenbilder pg. 70, 71. Aediculam vide apud Seidl. o. c. tab. VI fig. 7 et Perrot et Chipiez o. c. IV fig. 273.

[5]) Ammianus Marcellinus XIV, 8, 3.

[6]) o. c. pg. 160, 161.

uterque, quod gravissimum duco, *sinistra*[1]) bipennem gerat. Nomen huic quoque deo posterioribus temporibus ,,Baal'' fuisse (quod ut in Dolicheno probaremus, disputatione opus erat) ex nummis sub imperio Persarum cusis statim patet, ubi disertis verbis ,,Baal-Tarz'' vocatur[2]). Graeci autem eundem deum ,,Herakles'' vel ,,Herakles Sanda'' dictitabant[3]), in cuius honorem quinto quoque anno dies festus ac solemnis celebrabatur[4]). Sed quid multa? Iam neminem fugere credo, quanto opere, quae de origine et casibus dei Dolichae tutelaris proposui, certis testimoniis ad alterum quidem deum, sed eiusdem generis ac prope popularem, pertinentibus confirmentur. Quod hunc Herculem, non Iovem vocabant, naturae bellicosae dei Hittitici tribuas, praesertim, qui non, ut Sanda, deus supremus fulmen torqueret.

1) Quoscumque nummos Tarsenses examinavi, omnes deum hunc in modum fictum exhibent. Quod Imhoof-Blumer Thier- und Pflanzenbilder pg. 70-8 deum *dextra* bipennem gestare scribit, imagine ipsa nummi inspecta (tab. XII-8) errori manifesto tribuendum esse mihi persuasi.

2) Ed. Meyer apud Roscher I s. v. Baal. col. 2867.

3) Dio Chrysostomus XXXIII pg. 16 v. 21 ed. Dindorf, Athenaeus V, 54, Agathias II, 24, Nonnus, Dionysiaca XXXIV, 192.

4) Dio Chrysostomus l. l.

II.

DE IOVIS DOLICHENI PER IMPERIUM ROMANUM PROPAGATIONE.

Iam omnium primum lectorem monere par est, eorum quae hoc sub capite leguntur, aliquantulum tantum ex variis elementis a me ipso collectis compositum esse. Materiam enim haud multum discrepantem nuperrime Franz Cumont in notissimo opere, *Textes et Monuments figurés relatifs aux mystères de Mithra I (Introduction)* pg. 241—277, dum vestigia religionis Mithriacae per imperium Romanum persequitur, eximia sagacitate doctrinaque adhibitis tractavit. Cuius viri summi studia ideo meum in usum convertere potui, quia, quod ille o. c. pg. 244 et pg. 233 ann. 2 annotavit — Dolichenum scilicet eodem tempore ac Mithram orbem Romanum peragrasse iisdemque in locis utrique deo devinctos homines monumentis argui — ipse, quae ad Dolicheni cultum pertinentia restabant, denuo recensitis, maximam partem verum esse cognovi. Hoc quoque silere nolo me ex opusculo Hettneri plura hausisse, quae incepto meo usui essent.

Milites praecipue Dolicheni, dei bellicosi, cultum divulgasse iam supra diximus. Id non solum magno numero lapidum a militibus dedicatorum comprobatur, sed etiam inde efficere licet, quod provinciae inermes — ut Galliae[1]), Achaia, Asia, ceterae — aut quae parvis copiis tenebantur — ut Hispaniae — ne tantulum quidem frustulum inscriptionis vel monumenti Dolicheno oblati suppeditaverunt, contra aliae, quo pluribus legionibus auxiliisque occupabantur eo magis Dolicheni reliquiis abundant — ut provinciae Illyricae et Germaniae. Totius Africae (orbis terrarum partem dico, non provinciam) castra tantum Lambaesitana legionis III Augustae Dolicheno patuisse videntur, atque ipsa in Italia, qua legionibus interdictum fuit, tamen equites singulares et milites classium Misenensis et Ravennatis Dolicheni cultum disseminasse inscriptionibus (nn. 82, 83, 67, 110?, 101, 102??) satis ostenditur.

1) De statua in porta Massiliae reperta vide quae coniecit Seidl, sub n. 132.

Negotiatores Syriacos imprimis Dolicheni propagatores extitisse, ut Hettner censuit[1]), equidem vix assentiar. Quibus enim potissimum consistebant locis — Deli, Puteolis, Ostiae, in urbibus Galliarum[2]) — donaria certe aliquot deorum Syrorum eruta sunt (longe plurima Iovis Heliopolitani) at ne unum quidem nostro obtulerunt, nam titulus Ostiensis n. 110 a militibus et Portuensis n. 109 a praefecto quodam oblati sunt. Quamquam una inscriptio nostrae collectionis n. 12 „Suris negotiatoribus" debetur. Nota tamen Apuli, ubi inventa esse traditur, diu castra legionis XIII Geminae collocata fuisse.

Ceterum rerum natura fert Asianos religionem Dolicheni advexisse, qui, cuius condicionis fuerint homines, dubitari nequit. Iam ante Ciceronem[3]) Romanos servorum familias ex Syris potissimum explevisse notum est, sed eorum multitudo saeculis Christum sequentibus paene ad infinitum crevit variis de causis, quas ordine exponere huius loci non est, praesertim cum iam Cumont de iisdem egerit[4]). Nusquam tamen frequentiores erant quam in ipsa Italia, ut quae maxime manibus externarum operarum indigeret. Quapropter ibi etiam lapides in lucem prodierunt a libertinis Dolicheno dedicati, quorum nomina Graeca[5]) originem orientalem comprobant. Nam, ut Hettner bene animadvertit[6]), cum in Graecia ipsa donaria Dolicheni prorsus desiderentur, eos, qui Graecis nominibus insignes sunt Dolicheni cultores, „maxima ex parte Syriacos [vel potius Asianos] Graeculos esse veri est simillimum". Quae praeter haec Dolicheni monumenta Graecis vel Syriacis nominibus, ut Addebar Semei (n. 15), Marcus Barsemias (n. 100), Aurelius Germanus Barlaha (n. 22), Aquila Barsemon et Flavius Damas (n. 152), Marini passim (de quibus vide cap. III) per Italiam atque provincias inscripta inveniuntur, magnam partem eiusdem generis hominibus tribuenda sunt[7]). Grandis sane numerus Syriacorum servorum et libertinorum etiam in provinciis versabatur, quibus publicani et procuratores fisci in administrandis vectigalibus,

1) o. c. pg. 6—7. Cumont primum idem sentiebat o. c. pg. 263—264, deinde dubitare coepit o. c., Additions et corrections pg. 360.

2) Cumont o. c. pg. 263 „En Gaule cette population d'orientaux était particulièrement dense".

3) De oratore 2-66-265.

4) o. c. pg. 264.

5) T. Aelius Hilarus (n. 65), Thyrsus (n. 71), Semnus (n. 79), T. Flavius Cosmus (n. 80), Paezon Aquilliaes Bassillaes actor (n. 81), quem servili loco natum esse probabile est, L. Fabirius Philotimus (n. 91), T. Flavius Amarantus (n. 104 cfr. n. 105), T. Flavius Argaeus? (n. 108).

6) o. c. pg. 9 et 10, cfr. pg. 16 et 17.

7) Exceptis videlicet, quae a *militibus* Syriacis consecrata sunt.

portoriis, fodinis, eiusmodi rebus utebantur[1]), eosque Dolicheno addictos fuisse ara (n. 21) testatur ab Achilleo, Augustorum servo, Kumanovae oblata. Eosdem Ampeli, ubi aurariae publice exercebantur, Dolicheni cultum celebrasse non minus quattuor lapides (nn. 13, 14, 15, 16), quamvis parvum municipium sit, testimonio esse videntur.

Alia genera Syrorum, caupones, lenones, ambubaias, meretrices, haruspices, infimae plebiculae homines, quibus solum Italicum inquinabatur, memorare satis habeo, quoniam, si forte aliquid ad Dolichenum propagandum contulerunt, nullum tamen huius rei documentum eruere mihi contigit.

Pauca quidem sed quae maxime cognitione digna, optime stabilita videantur, additurus sum, ut, quo pacto numen nostrum singulas provincias invaserit, clarius illustretur.

Iam inde ab initio Syria vel Commagene ipsa, dei patria, unum tantum Dolicheni ectypum nobis ministravit. Quae raritas non nisi ex indole incolarum huius provinciae explicari potest. Syri enim quamvis superstitiosi tamen „quid sit futurum cras" minime curabant[2]), cuius rei testimonium hoc profertur: In nulla fere parte imperii Romani inscriptiones parcius inveniuntur quam in Syria; quin ipsa Antiochia, quae urbs splendore et magnitudine Romam et Alexandriam aequabat, numero inscriptionum pagis quibusdam Africae vel Arabiae cedit[3]). Memoriam suam lapidibus propagare tum demum inducebantur, cum per regiones longinquas extorres vagarentur.

Tametsi legionarios Syria vel Commagene oriundos, quique iis in terris meruerant, quocumque perveniebant, deum secum portasse primo obtutu facile credas, sunt tamen, quae accuratius investiganti dubitationem moveant. Quippe legiones his isdem temporibus, quibus noster colebatur, scilicet post Hadrianum mortuum, non amplius undique conscribebantur sed tantum ex earum regionum indigenis, ubi castra habebant[4]). Extant tamen documenta, quibus hoc institutum interdum minus stricte observari demonstretur, neque utique ad centuriones ceterosque ordines pertinebat, quod genus hominum plurima donaria Dolicheno obtulit. Hi orbem Romanum ab ortu ad occasum permeabant, dum quoties ordines superiores accipiebant, alias in legiones transferuntur. Et cum ubique mores et religiones diversissi-

1) Cumont o. c. pg. 270 et 271.

2) Th. Mommsen, Römische Geschichte V pg. 460.

3) Mommsen l. l.

4) Th. Mommsen, Die Conscriptionsordnung der römischen Kaiserzeit, Hermes XIX (1884), pg. 21.

marum nationum cognoscerent, Syrorum adsciscere vel ea de causa magis licuit, quia exercitus Syriacus non ut aliis in provinciis uno vel duobus castris stativis tenebatur sed per singulas urbes praesidium agitabat [1]). Memorandum etiam est, tirones orientales etsi Antoninis et Severis imperantibus non amplius legionibus occidentalibus immiscebantur, tamen semper in classibus Miseni et Ravennae militia functos esse. Neque sane cohortes et alae auxiliares in patria sua relinquebantur. Quae copiae passim e Syria lectae per totum orbem Romanum merebant, neque aliud territorium pro finium amplitudine plura auxilia Romae praebuit quam ipsa Commagene [2]). Sex cohortes Commagenorum in lapidibus commemorantur, numerus alarum non prorsus constat, sed duas fuisse probabiliter statuas [3]). Mirum quidem est nullum Dolicheni donarium his popularibus dei recte ascribi posse — mon. n. 136 equitibus coh. I Commagenorum donatum esse probari nequit — attamen, ubicumque has copias tetendisse compertum est, ibi etiam monumenta Dolicheni in lucem prodierunt. Cohors prima in Dacia stipendia faciebat, altera in eadem provincia, Miciae, qui pagus non multum distat Sarmizegetusa, Apulo, Ampelo, unde Dolicheni donaria prodierunt, cohors quinta Sarmizegetusae, ut videtur, cohors sexta inter auxilia legionis III Augustae numeratur (C. I. L. VIII 2532), cuius in castris Lambaesitanis Dolicheni cultus valde florebat [4]). Ala Commagenorum in Aegypto superiore castra habebat, ibique — aegre fateor — nondum Dolicheni lapides effossi sunt, ab altera autem ala vicus „Commagenae" in fine septentrionali provinciae Norici situs, nomen accepit [5]), neque sane casu accidit, ut Trigisamo, ex proxima vicinia, pyramis illa memorabilis provenerit, quam sub n. 58 descripsimus.

Ex multis aliis auxiliis in Syria conscriptis cohortem I Canathenorum et cohortem I Hammiorum sagittariorum nominare satis sit. Ab illius veteranis titulus Raeticus n. 62, huius in castris titulus Britannicus n. 119 oblatus est.

Si inscriptionibus credimus, Dolichenus e Syria primum Lambaesin migravit. Conservatus est lapis n. 128, quo S. Iulius Maior legatus legionis III Augustae inter annos 130—133, se templum deo nostro

1) Th. Mommsen, Röm. Gesch. V, pg. 449.
2) Cumont o. c. pg. 247.
3) Cumont o. c. pg. 247 ann. 4 et 6.
4) Num ipsa Lambaesi collocata fuerit, incertum est, cfr. René Cagnat, Musée de Lambèse pg. 57.
5) Cichorius apud Pauly-Wissowa 3e ed. I. s. v. ala pg. 1329.

dedicasse profitetur. Itaque iam antea Dolichenum complures eiusdem legionis milites religiose venerabantur; alioquin neque templo opus fuisset neque, hercle, ipse legatus numini parum noto sacrarium dedicasset. Legio autem III Augusta his isdem temporibus maiorem partem ex orientalium provinciarum incolis scribebatur, quod efficitur ex laterculo (C. I. L. VIII Suppl. 18084) militum huius legionis, qui ± 130 p. Chr. n. sacramento solvebantur. Inter nonaginta quattuor non minus sexaginta in Syria aut in provinciis finitimis nati sunt, neque est cur dubitemus quin id genus legionarii una cum commilitonibus cohortis VI Commagenorum (vide supra pg. 14) Dolichenum in Numidiam introduxerint.

In Moesiam ea de causa Dolichenus acceptus esse videtur, quod legiones, quae hanc provinciam tuebantur, probabiliter etiam saeculo altero exeunte ex Asia, quam nos dicimus, suppleri solebant [1]). At Dacia praeter milites, alios quoque Dolicheni propagatores habuit. In hanc enim provinciam imperator Traianus rege Decebalo devicto (anno 106) colonos undique collectos deduxit, inter quos magnum Asianorum numerum fuisse inscriptionibus probatur [2]). Illos religionem Dolicheni iam statim advexisse [3]) — tituli Dacici Dolicheno positi, quorum quidem aetas constat, vel saeculo posteriores sunt — licet certo statui nequeat, tamen deum Syriacum nequaquam aversatos esse nemo non intellegit.

Carnunti, in capite Pannoniarum, Dolichenus pie colebatur. Nam non solum, templum, monumenta, inscriptiones, multa atque notabilia ibi eruderata sunt, sed etiam collegium cultorum caerimoniis invigilasse lapides nn. 42, 50 docent. Neque mirum igitur inde deum alias terras petivisse, idque etiam ex lapidibus colligas. Nam titulum n. 133 prope Xanten effossum posuit primipilus quidam Carnunti natus et lapides nn. 34, 36, 73 a militibus legionis X Geminae et XIIII Geminae oblati sunt, quarum haec Carnunti tendebat, illa in municipio proximo, Vindobonae, sed eiusdem legionis vexilla etiam Carnunti morabantur [4]). Ibi utrosque Dolicheni numen adorare didicisse lapides nn. 41, 45, 50 documento sunt.

E Pannonia si Danuvium subvecti inde Limitem Raetiae et Germaniae sequimur, compluribus in castellis ad flumen aut Limitem defendendum

1) Mommsen, Hermes 1884, pg. 8, ann. I.
2) Hettner o. c. pg. 11 et 12, Jung, Die romanischen Landschaften des roemischen Reiches (1881) pag. 381, eiusdem, Römer und Romanen in den Donauländern 2e ed. (1887), pg. 112 seqq..
3) Sic Hettner o. c. pg. 11.
4) Cfr. Kubitschek apud Pauly-Wissowa 3e ed. III col. 1603.

dispositis Dolicheni cultus reliquias offendimus. In Norico Trigisami, prope Danuvium, pyramis Dolicheno consecrata n. 58 inventa est. In Raetia quoque haud procul ab eodem flumine titulus n. 62 repertus est atque Dolichenus ante castra cohortis I Breucorum (Pfünz, cfr. nn. 59, 60, 61) templum habuit; Aquileia quoque, cuius ex castello lamina n. 63 in lucem prolata esse traditur, in Limite Raetico [1]) sita est. Limitis porro Germanici castella, in quibus noster colebatur, a meridie ad septentriones progredienti haec sunt: Köngen (n. 146), Obernburg (n. 148), Stockstadt (n. 149), Heddernheim (nn. 141, 142, 143, 144, 145), Mogontiacum (n. 137), Saalburg (nn. 138, 139, 140). Per praesidia horum castellorum Dolichenum in Germaniam ex Illyrico et imprimis e Pannoniis, ubi deus, quantum ex inscriptionibus concludi potest, prius notus erat, transmissum esse meo iure affirmaverim. Nam primum cohors I Breucorum (vide supra), qui populus est Pannoniae, una cum Canathenis (cfr. n. 62) deum Raetiae importasse videtur, quae provincia Germaniam Superiorem tangit. Deinde ara n. 149, quae vico Stockstadt tribuitur, dedicata est ab ex aquilifero legionis I Adiutricis, quae his isdem temporibus Brigetione — Dolicheni cultus sedem fuisse ex n. 37 apparet — in Pannonia Superiore morabatur [2]). Tum alteram aram n. 140 prope Saalburg repertam cohors II *Raetorum* nostro obtulit. Omnino copias Germanicas cum Illyricis commercium habere solitas esse Cumont [3]) iure observavit, confirmaturque titulo n. 133, de quo vide supra pg. 15.

In Britannia stationes apud vallum Hadriani extructas Dolichenum benigne excepisse, lapides testantur. Iam supra Cohortis I Hammiorum (cfr. n. 49) mentio facta est, quam cultum Dolicheni per has regiones disseminasse conicere licet.

Reliquum est, ut de temporibus, quibus Dolichenus apud Romanos colebatur, breviter disseramus. Atque hic fortasse locus fuerit explicandi, ut paulatim senescente et stirpe et religione Romana „vana superstitio veterum ignara deorum" animos occupaverit deorumque orientalium turba Serapis, Mithras, Attis, Dea Syria, alii Olympum usurpaverint [4]). Hunc tamen religionum „synkretismum", qui vocatur, rite exponere longum est nec ei rei vires sufficiunt quam iam egregie absolvit Jean Réville, *La religion sous les Sévères* (Paris

[1]) Vel potius „Germanico", vide ann. pg. 58.

[2]) Cumont o. c. pg. 252 ann. 4, ex quo hausi, laudat Jünemann, De legione I Adiutrice (Leipziger Studien XVI 1894).

[3]) o. c. pg. 256 ann. 1.

[4]) Cfr. Lucianus, Deorum concilium c. 9 (T. III pg. 579 ed. Jacobitz).

1886). Quae nos ad Dolicheni cultum pertinentia observavimus, haec fere sunt.

Ut alios deos orientales [1]), sic Dolichenum quoque patria demum sub dicionem Romanorum redacta in terris occidentalibus coli coeptum esse probabile arbitror. Postquam Commagene a Vespasiano anno 72 p. Chr. n. provinciae Syriae adiuncta est [2]), Dolicheno quidem donaria non protinus in toto orbe Romano consecrata sunt, sed circiter 30 annis post in Africa saltem homines deo deditos fuisse supra didicimus inscriptione (n. 128) adhibita, quae Hadriano imperante incisa est. Extant etiam tres tituli sub imperatoribus Pio (n. 115) et Marco (nn. 62, 80) positi, quorum unus (n. 80) iam tum Dolicheno Romae in Aventino templum dicatum fuisse testari videtur. Accedit, quod reliquiae fundamentorum huius aedis eandem aetatem demonstrant [3]). Porro cum in titulis n. 64*a* et *b*, in Esquilino repertis, quem ad modum ibi anno 191 p. Chr. n. sacrarium Dolicheni exornatum atque auctum sit edoceatur, eisdem fere temporibus, quibus Aventinense, hoc quoque templum primo aedificatum esse, probatione vix eget. Carnunti autem, anno postquam Commodus solus regnare coeperat, (181), collegium Dolicheni sacra obibat (cfr. n. 42), ut iam prius, imperatore Marco Aurelio, deus illuc penetraverit necesse sit. Contra ANTE illius imperatoris aetatem non multos lapides nostrae collectionis inscriptos esse e gentilicio „Aurelius" concludas, quod crebro in iis invenitur [4]).

At Commodi et Severorum demum aetate noster ubique summo in honore habebatur idque faventibus imperatoribus. Nam ex magno inscriptionum numero, quae Dolicheno oblatae his temporibus tribuendae esse videntur, permultae pro salute eorum positae sunt, sive nominibus ipsis indicatis sive formulis „Pro salute Augustorum" vel „In honorem domus divinae", aliis adhibitis. „Augusti" quidem etiam ad alios imperatores, praeterquam ad Severos spectare potest, sed propter ipsam frequentiam lapidum, in quibus Severi aperte nominantur, lapides formula velut „Pro salute Augustorum" insignes pro iisdem datos esse facile credas. Commodus sane non solum religiones orientales et Aegyptiacas gliscere passus est, sed etiam ipsum talibus sacris initiatum fuisse ex Lampridio [5]) cognovimus. Atque eundem cul-

[1]) Cumont o. c. pg. 244 ann. 2.

[2]) Marquardt, Römische Staatsverwaltung 2e ed. I pg. 398 seqq..

[3]) Jordanum qui hoc templum iam ante Claudium conditum esse censet (Hermes VI (1872) pg. 320) Hettner confutat o. c. pg. 20 et 21.

[4]) Cfr. Hettner o. c. pg. 19 ann. 3.

[5]) Commodus c. 9 (scriptores historiae Augustae ed. Peter 1 pg. 96).

tum dei invicti Mithrae, cuius mystes erat, strenue promovisse lapides comprobant [1]).

Neque profecto mirum est Severis imperantibus multos ad deum Syriacum venerandum adductos esse. Nam Septimius Severus uxorem sibi adiunxerat Iuliam Domnam Emesa, ex urbe Syriae, oriundam, cuius auctoritas tantum apud maritum valuit, ut in aulam atque consilium imperatoris Syri et Phoenices prope soli admissi sint, inter quos primum locum obtinebant Iulia Moesa, soror Augustae, cum filiabus Iulia Soaemia et Iulia Mammaea, tum iurisconsulti praeclari Domitius Ulpianus et Aemilius Papinianus [2]), ne loquar de viris doctis originis Syriacae, a quibus coetus litterarius Augustae celebrabatur [3]). Severus ipse priorem regni sui partem 193—202, brevi intervallo (196) intermisso, in Syria et provinciis finitimis degit, quas beneficiis cumulando, quantum sibi coniugis patria cordi esset, declaravit. Variis locis colonias condidit, Antiochiam thermis magnificis, Heliopolim templo amplissimo [4]) auxit, vias sternendas curavit, pacem et quietem ubique restituit, Romanorum instituta atque cultum introduxit [5]). Sic pontem refici iussit, qui in via Samosatis Melitenen ducenti factus omnium aetatis Romanae monumentorum, quae etiam nunc per Commagenen inveniuntur, longe praestantissimum est [6]). De columnis a quattuor civitatibus Commagenae (inter quas et Doliche) prope hunc pontem erectis iam supra egimus. Imperatorem igitur res Syriacas toto pectore curantem, etiam fautorem religionum Syriacarum extitisse, ecquis dubitaverit, cum praesertim superstitionibus eum obnoxium fuisse satis constet? Neque Caracalla imperatore Dolicheni sanctitas imminuta est. Quis enim deus melius pro salute imperatoris originis Syriacae invocaretur, totam fere vitam in castris consumentis [7]), quam deus Syriacus militaris?

Sub imperio Alexandri Severi vel paulo post templum Aventinense denuo exornatum est (cfr. nn. 75, 76), quo magnum collegium cul-

---

1) Cumont o. c. pg. 281.

2) Papinianum Syrum origine fuisse — cuius rei adhuc gravis auctor desiderabatur — iam ex inscriptione C. I. R. 1408 elucere videtur, quam iterum edidit et tractavit von Domaszewski, Korrespondenzblatt der Westdeutschen Zeitschrift 1897, n. 8, 9 col. 172 seqq..

3) Jean Réville o. c. pg. 194 et 202.

4) Cfr. De Saulcy, Revue Archéologique 1877 XXXIII pg. 270.

5) V. Duruy, Histoire des Romains VI pg. 74 seqq..

6) Humann und Puchstein o. c. pg. 393 seqq. et tabb. XLI, XLII, XLIII.

7) Cfr. P. von Rohden apud Pauly-Wissowa 3e ed. I. col. 2453. „Vielmehr ging er (= Caracalla) fast ganz im Soldatenleben auf.“

torum convenire solebat. Sed pro eius et Elagabali, cui successit, salute duo tantum donaria (nn. 94, 154) inscripta sunt, fortasse propter indolem horum principum minime bellicosam. Deinde saeculo procedente homines sensim a deo descivisse videntur. Post annum 300 certe nullum donarium Dolicheno oblatum est. Templum quidem Dolicheni Aventinense adhuc in „Curioso urbis Regionum XIV“ et „Notitia Regionum urbis XIV“, quorum archetypus inter annos 312-315 scriptus est [1]), memoratur „sed novo usui destinatum nomen pristinum retinere potuit.“ [2]) Testimonium Dolicheni cultus propere decrescentis praebet templum Agrippinense, quod anno 211 restitutum, mox iterum corruisse neque amplius refectum esse apparet. Lapis enim n. 134 anno 211 sacrarii muro immissus, vel Romanorum aetate ad alterum aedificium extruendum utilis fuit.

---

1) Cfr. H. Jordan, Topographie der stadt Rom im Alterthum II pg. 540.

2) Hettner o. c. pg. 19.

III.

DE IOVIS DOLICHENI MONUMENTIS ET CULTORIBUS.

Simulacrum Dolicheni, quod in dei patria etiam Romanorum aetate praecipue colebatur, forma satis simile fuisse deis illis Hittiticis, quos cap. I descripsi, putandum est. Nam ectypo n. 1, quod, prope Dolichen repertum, iam saeculo primo a. Chr. n. exsculptum est, uti non possumus, quo simulacrum, quale in sacrario urbis ipsius fictum fuerit, animo reficiamus. In hoc monumento enim deus, Persarum more vestitus, armatura caret, quam in monumentis Dolicheni Romanis conspicuam ad antiquissimum exemplum dei Hittitici bellicosi referendam esse supra cap. I conieci. Lacinia quoque Hittitica deest, quam, si forte pg. 5 et 6 recte disputavi, in quibusdam Dolicheni imaginibus Romani imitati sunt. Dolicheno igitur ectypi n. 1 artifices Syri saeculi primi a. Chr. n., vestem, quam aequales sui gestare solerent, induisse videntur, insignibus tantum deo propriis, bipenni et fulmine, conservatis.

Quae Dolicheni forma apud Romanos fuerit, iam supra indicavi pg. 5 neque multa habeo quae addam. Deum artifices, quos operarios potius quam sculptores diceres, plus minusve ad eum typum informaverunt, cuius Mars (vel Pyrrhus) Capitolinus[1]) exemplum celeberrimum extat quique in imperatoribus vel ducibus armatis fingendis frequentissime adhibitus est[2]). Galeae loco tamen deus plerumque pileum, originis orientalis insigne, portat. Animadvertendum in monumento n. 39 (cfr. nn. 26, 135) deum gladium a latere *dextro* portare, ita ut quodammodo militibus non solum patronus sed etiam commilito datus sit, cum caligati soli hunc in modum accincti esse soleant. Contra in aliis (nn. 52, 89, 132) noster cinctorio ornatus est, imperii insigni[3]). Prorsus Iovi Romano similem Dolichenum in monumentis nn. 150, 151 conspicimus, habitu orientali pede sinistro collo tauri genibus nixi imposito, ut deo Phrygio Meni comparari possit,

[1]) W. Helbig (J. F. and F. Muirhead), Collections of Antiquities in Rome n. 405.
[2]) S. Reinach, Répertoire de la statuaire grecque et romaine passim.
[3]) Saglio, Dict. des Ant. I-2 s. v. cingulum pg. 1181.

in monumento n. 38[1]). Aram n. 24 imaginem Dolicheni eiusdem generis gessisse vestigia tauri iacentis probare videntur. Hoc animal, quod fere semper sub dei pedibus reperitur, nonnumquam cingulum latum gestat, quo a deo domitum esse significatur[2]).

Unum tamen monumentorum genus subtilius examinare oportebit, quattuor pyramides aheneas dico, quarum reliquias sub nn. 28, 58, 63, 145 descripsi. Ectypum quoque e lapide calcario perfectum n. 41 ut pyramidi assimilaret sculptor operam dedit, fierique potest, ut lamina ahenea Ligoriana n. 91 pars pyramidis fuerit. Forma eas conos illos lapideos referre, qui praeter alios deos Baalim Semiticis imprimis dicari solebant, pg. 8 et 9 conieci. Atqui haec saxa plerumque impolita manserunt. Sed velis involvere et laminis aheneis obducere moris fuit[3]), quibus interdum „des zones de bas-reliefs au repoussé"[4]) ornamento erant. Easdem fascias caelatas pyramides nostrae exhibent, maxime distinctas vero nota illa pyramis Lussoniensis (n. 28), quam prae ceteris optime conservatam plurimisque figuris insignem ita tractabo, ut ad alias comparandas exempli vice fungatur.

Pyramis nostra pro temporum, quibus fabricata est, more imaginibus diversissimorum deorum tecta est. Ex quibus una, Dolicheni comes vel uxor, quae in inscriptionibus Iuno vocatur, in ibice stans tauro Dolicheni obviam vehitur[5]) (n. 28*b* loc. 3). Invenitur praeterea collocata in tergo vaccae (n. 63 cfr. n. 117), cervae vel capreae (nn. 56, mon. sub 86 laudatum, 90?, 91, 145*b*), leaenae vel pantheris (n. 154). In infima parte pyramidis Heddernheimensis (n. 145*b*). Isidis insignia gerit. Deam Syriam non esse vel inde apparet, quod numquam duobus leonibus insidens fingitur, inter quos hoc numen cum apud Syros[6]) tum apud Romanos[7]) figuratur, neque usquam in inscriptionibus una cum Dolicheno eo nomine appellatur. In naturam huius Dolicheni *παρέδρου* altius inquirere parum profuerit, sed cum Atargati, cuius cultum et templum Hierapoli in urbe finitima situm Lucianus *De Syria dea* describit, cohaerere vix dictu

[1]) De hoc monumento vide etiam infra pg. 27.
[2]) Cumont o. c. I pg. 185 ann. 1.
[3]) Vide lapidem dei Elagabali symbolum in nummo Uranii Antonini apud von Domaszewski, Die Religion des römischen Heeres pg. 61.
[4]) F. Lenormant, Les Bétyles, Revue de l'Histoire des Religions III pg. 45.
[5]) „Iuno Assyria, reg(ina) Dolichena" deae nomen est in ectypo Ligoriano n. 91, ubi vide; cfr. etiam tituli C. I. L. VI 365 (sub n. 81) „Iuno Regina" (?) et n. 71 „Iuno sancta Hera".
[6]) Lucianus, De Syria dea c. 31.
[7]) Cfr. C. I. L. VI 116.

opus est. De antiquissima deae forma et nomine pauca cap. I rettuli.

Quid sibi velint dei, qui in infimo loculo tabulae 28*b* inter taurorum protomas expressi sunt, Hettnerum puto minus recte explanasse, cum illos imagines vetustiores Dolicheni duceret[1]). Eiusdem generis figuris in duabus aliis pyramidibus nn. 58 et 63 collatis equidem potius de Iove Hieropolitano vel Heliopolitano cogitaverim, qui in inscriptionibus iuxta Dolichenum (nn. 33 et 42??) aut cum eo confusus (n. 31) reperitur[2]). Uterque enim Juppiter tauris eodem modo utitur, quo dei in tabulis nostris. Heliopolitanus praeterea manu sinistra spicas tenere solet, sicut deus dexter in pyramide Lussoniensi n. 28*b*, cum sinister fulmen gerat, quod eiusdem Heliopolitani insigne est. Fortasse artifices Dolichenum quoque, qualis in loculo 4 eiusdem tabulae 28*b* et in tabula 28*a* exsculptus est, exemplo habuerunt atque inde factum est, ut dei tauris insidentes loricati barbatique sint, cum Heliopolitanus plerumque imberbis sitne thorace tectus necne, ex dei figuris effici nequeat, et lacinia ex umero eorum dependeat. Contra si eundem deum inter tauros pyramidis Trigisamensis n. 58*a* dextra hastam elevatam tenentem consideramus, alterum numen Iovibus Hierapolitano et Heliopolitano propinquum, etiam ad deos nostros excolendos contulisse verisimile fit, numen scilicet, de quo Macrobius haec tradit (Sat. 1-c.17 § 66—67): ,,Hierapolitani omnes Solis effectus atque virtutes ad unam simulacri *barbati* speciem redigunt eumque Apollinem appellant. Huius facies *prolixa in acutum barba* figurata est eminente super capite calatho; simulacrum *thorace munitum* est, dextera *erectam* tenet *hastam* superstante Victoriae parvulo signo'' cett.. Denique num forte haec coniectura, quamvis temeraria sit, placeat, lectores viderint. Deus dexter inter tauros tabulae Lussoniensis n. 28*b* manu dextra rosam (rosette) ❁ portat. Simili figura protomae taurorum, quibus ipse et collega sinister insidet, coniunctae sunt et frons tauri tabulae Heddernheimensis n. 145*b* ornata est. Sed prorsus eandem rosam planetae sub deorum forma propositi[3]) in ectypo Assyrio,

---

[1]) o. c. pg. 3.

[2]) De Heliopolitano vide Drexler apud Roscher s. v., P. Wolters, American Journal of Archaeology VI 1890 pg. 65 seqq., P. Perdrizet, Revue des Etudes Anciennes 1900 II 1. Miscellanea pg. 19 seqq., ubi plenissimus index omnium monumentorum datus est, in quibus dei effigies expressa est. Hierapolitanum a Luciano descriptum o. c. c. 31 in nummis urbium Hierapolis, Rhosi, Dii invenias, cfr. W. Wroth, Catalogue of the Greek coins of Galatia, Cappadocia aud Syria pg. LXX.

[3]) Sic figuras explicat von Luschan, quem citat Alfred Jeremias apud Roscher s. v. Nebo col. 65. Imago ectypi l. l. col. 67, 68 data est et apud Perrot et Chipiez o. c. II fig. 313.

apud pagum Malthayam rupibus inciso, in capite gerunt. Insigne itaque deorum planeticorum (sit venia verbo) quo minus habeatur, nihil est quod impediat idque deis in pyramidibus nostris eo aptius attribuitur, quoniam et Juppiter Heliopolitanus et Apollo Hieropolitanus Solem repraesentant, qui apud antiquos inter planetas numerabatur. Iisdem deis Dolichenum epitheta ,,invicti'' et ,,aeterni'' (n. 75) debere censeo, quibus Romani deos tantum siderales ex Oriente advectos laudare assueverant[1]).

Haec, quod ad numina Syriaca attinet: sequitur ut de diis militaribus, qui in tabula Lussoniensi n. 28*a* Dolichenum circumdant, Victoria, Minerva, Hercule — accedit Mars ex tabulis Trigisamensi n. 58*b* et Aquileiensi n. 63 — pauca in medium proferam. Militibus Romanis revera deos proprios fuisse A. von Domaszewski demonstravit in opere suo iam supra memorato *Die Religion des römischen Heeres*, iisque praesidere Iovem optimum maximum, Martem, Victoriam[2]). Juppiter πaρέδρους suas Capitolinas in castra introduxit, Iunonem et Minervam, quibuscum frequenter in lapidibus laudatur[3]), quamquam haec etiam seorsum non minus sancte a militibus coli solet[4]). Germanis in exercitibus Romanorum merentibus Hercules imprimis sacer erat, cum pro numine gentili „Donar'' haberent[5]), sed certis documentis ostenditur copias quoque aliunde compositas eundem deum veneratas esse. Velut Carnunti in castris templum Herculi dicatum fuit, cuius simulacrum marmoreum omnia id genus monumenta ibidem reperta longe superat[6]).

His itaque diis militaribus Iovi optimo maximo, Iunoni, Minervae, Marti, Victoriae, Herculi — sequuntur etiam aliorum deorum nomina — quinque arae urbanae ab equitibus singularibus positae sunt[7]); iisdem quoque, Herculis nomine omisso, titulus ,,Mena'a'' (Numidia) in lucem protractus C. I. L. VIII 2465 cfr. Suppl. II 17953 inscriptus est. Quodsi autem Iovi et Iunoni Dolichenum cum uxore substituamus, eundem deorum coetum in pyramidibus nostris reperimus, unde minime dubium, quin Dolichenus hic Iovem optimum maximum regno exercituum expulerit. Eodem ducit, quod Dolicheni aediculam in infimo tabulae

---

[1]) Cumont o. c. I pg. 47 seqq..

[2]) o. c. pg. 4.

[3]) o. c. pg. 23 seqq..

[4]) o. c. pg. 29 seqq..

[5]) o. c. pg. 47.

[6]) o. c. pg. 49.

[7]) Annali dell' Instituto 1885 pg. 385 seqq. nn. 4, 9, 10, 12, 13; cfr. v. Domaszewski o. c. pg. 20 seqq..

Lussoniensis n. 28*b* loculo duae legionum aquilae includunt. Von Domaszewski — ut paulum digrediar ad virum confutandum, cuius auctoritas merito apud homines doctos multum valet — Dolicheno summam in Olympo militari potestatem ab imperatore Elagabalo delatam esse et pyramides nostras lapidem illum cono similem[1]) repraesentare censet, quo nihil ab hoc adulescentulo maiore religione colebatur[2]). Sed huius Elagabali in Dolichenum studii omnino nullum vestigium superest, immo longe maior inscriptionum pars deo nostro ante eum imperatorem consecrata est atque una tantum n. 152 pro eius salute oblata invenitur. Contra iam antequam lapis Elagabali Romam transportatus sit, Dolicheno donaria, quae forma pyramidem referrent, dedicata esse ectypum n. 41 testatur, quod in sacrario Carnunti effossum, propter inscriptiones simul repertas nn. 42, 45 Commodi aetate posterius non esse pro certo affirmaverim.

Omnium deorum militarium Victoria saepissime redit in monumentis nostris. Nam praeterquam quod in tabulis Lussoniensi n. 28*a* et Heddernheimensi n. 145*b* caelata est, etiam parvum huius deae signum summum utriusque pyramidis culmen ornabat et in ectypis quoque lapideis nn. 51, 106 efficta invenitur. Cuius rei causa in propatulo est. Victoria enim dextra coronam porrigens, sinistra palmam tenens facillime cum deo nostro componi potuit, quia Juppiter a Victoria coronatus artis antiquae usitatissima figura est.

Protomas Solis et Lunae in pyramidibus nn. 28*a* et *b*, 145*a* et *b* et in ectypo lapideo n. 56 conspicuas ornamenti praecipue gratia additas esse credo, ut in lucernis non raro ea videlicet de causa expressae sunt[3]). An Cumont recte moneat haec sidera hac sub forma coniuncta imprimis deorum orientalium donariis propria esse[4]) quaerere omisi; hoc tantum dico Dolicheno potius cum Luna quam cum Sole rem esse videri. Quippe illius signum (luna scilicet) in tribus monumentis lapideis nn. 67, 126, 132 propositum conspicimus, ubi omne Solis indicium desideratur et Dolicheni cum deo Phrygio lunari confusi statua n. 38 exemplum praebet. Ne tamen coronam radiatam, quae in tribus ectypis nn. 89, 90, 106 nostro tribuitur, naturam solarem Dolicheni significare credas, conferantur, quae sub nn. 71 et 89 de ea re protuli.

Quas figuras in pyramidibus describendis silentio praeterii — ut

---

1) Cfr. e. g. J. Réville o. c. pg. 245.
2) o. c. pg. 60 et 61.
3) Plurima Solis protome invenitur, cfr. C. I. L. XV, II, pg. 782 seqq..
4) o. c. I pag. 122.

laserpicium (n. 28*a*), arborem (n. 63), deam (n. 58*a*), deos orbibus impositos in loculo inferiore pyramidis Heddernheimensis (n. 145*b*) — non ita explicare potui, ut mihi ipse satisfacerem; de aliis — ut aquila, uva (n. 28*b*), speculo, quod Dolicheni uxor manu dextra tenet (nn. 91, 152) — in Cap. I disputavi.

Adsunt quaedam Dolicheni donaria ex quibus nostro vim medendi ascribi atque nonnumquam una cum Aesculapio vel Aesculapii loco cultum esse concludi licet. Si inscriptiones perlustramus unam (n. 19) ,,ex praecepto num(inis) Aesculapi'', alteram (n. 60) — si recte emendavi — i(ussu) E(sculapii)'', tertiam (n. 125) ,,I. o. m. Dolic(eno) Aesculapio Ygiae ceterisq(ue) diis immort(alibus)'', quartam (n. 83) a medico quodam datas esse cognoscimus. Observa etiam, quam multae ,,pro salute'' alicuius exaratae reperiantur. Haud paucae praeterea ,,ex visu'' vel ,,ex iussu dei'' oblatae sunt, quod solum ad somnia visa spectare potest (cfr. n. 19 ,,somno monit(us)'') et necessario ,,incubationes'' illas in memoriam revocat, quae creberrimae in templis Aesculapii fieri solebant. Cuius dei insigne Dolichenum accepisse propter basim n. 4 probabile fit. Arboris enim truncum, cui serpens se applicat quidquam aliud esse negaverim quam inferiorem partem baculi vel clavae[1]), qua angue circumdata deus medicina clarus utitur (cfr. tamen n. 153). Sic idem insigne in Serapidem transfertur[2]) nimirum postquam hoc numen pro Aesculapio haberi coeptum est. Manus etiam votiva Heddernheimensis n. 141 procul dubio ex eo more Dolicheno oblata est, quo, qui ex morbo convaluerant, Aesculapio membri sanati effigiem consecrabant, ut grati erga deum animi testimonium esset[3]). Quae cum ita sint, nescio an tabella ansata n. 144 ibidem reperta (hamulus lateri superiori affixus est) et tabellae Viruni et Pfünz eruderatae nn. 55, 59, 60 (cfr. fragmentum n. 61) antiquitus eiusmodi donis votivis suspensae fuerint[4]), quibus propter formam difficilius dedicationis verba incidi possent.

Dolicheni ideo ab aegris numen salutare invocatum esse, quod aquis salubribus praesideret, quas prope eius patriam sitas fuisse traditur[5]), primus animadvertit v. d. Friedrich Kenner[6]), idque

---

1) Scipionem Aesculapii interdum in clavae formam abisse monet Thraemer apud Roscher s. v. Asklepios col. 628.
2) Thraemer l. l. col. 629.
3) Preller-Jordan, Römische Mythologie II pg. 242.
4) Cfr. e. g. Dict. des Ant. II s. v. donarium fig. 2547 et pg. 378.
5) Cfr. cap. I pg. 1.
6) Mittheilungen der K.K. Central-Commission zur Erforschung und Erhaltung der Kunst- und Historischen Denkmale, Wien 1876 pg. 56.

inscriptionibus quoque probari longiore disputatione expositurus sum.

In duobus titulis, altero urbano a Ligorio tradito n. 92, altero Pfünz reperto n. 60 formulae leguntur (I. o. m. D) ,,ubi ferrum nascitur" et ,,ubi ferrum . . . . ur", ex quibus vulgo efficitur ferrarias olim apud Dolichen exercitatas esse: minus recte, ut videtur. Nam primum licet fuerint ferrariae Dolichae, nulla tamen causa extitisset, cur huius rei in inscriptionibus singillatim mentio fieret. Tum talium fodinarum antiquarum nullum vestigium reperire potui, neque hodie certe in iis regionibus inveniuntur[1]). ,,Ferrum" igitur ad *thermas* referendum esse censeo, et hic quodammodo positum esse pro ,,aqua ferrata"[2]). Antiquis enim notum fuit, quae vis salubris huius generis aquis innata esset, teste Scribonio Largo[3]).

Neque tamen litem obtinemus, nisi unicam inscriptionem, quae formulam eiusdem tenoris continet, sententiae nostrae favere demonstraverimus, titulum dico Apuli (Dacia) effossum C. I. L. III 1128:

Numini et Virtutibu|s
nato ubi ferrum exo R itur
naturae boni even/tus et   numini Imp. Caes. T. Aeli Hadri
ani Antonini A y g. Pii
Terentiu|s

Th. Mommsen, qui in lucem edidit, scribit: ,,Titulum tam singularem et cuius non restat nisi minor pars, licet supplere nequeam, tamen hoc certum mihi videtur pertinere eum ad ferrum repertum in Dacia imperante Pio, ferrariasque tum institutas; nam eo ducit, quod praedicantur praeter numen virtutesque dei nescio cuius genius loci, scilicet novarum ferrariarum, ibi natus ubi ferrum exciditur et natura boni eventus . . . . Ferrariarum autem Dacia non caret, inter quas hodie eminent, Gyalarianae inter Devam et Hatszeg".

At vereor ne summi viri explicatio claudicet, idque his de causis:

---

1) Ritter solus, Erdkunde XVII 2 pg. 1682, scribit ,,Die Berge um Aintab sind insgesammt Kreidefelsen . . . . . mit Zwischenlagern von Feuer- und EISENsteinen."

2) Sic nostrates etiam ,,staal"pro ,,staalwater" usurpant.

3) De compositione medicamentorum 146: ,,Ad tumorem et dolorem vesicae et coulcerationem benefacit aqua, in qua ferrum candens demissum est. Hoc ego traxi ab aquis, quae sunt in Tuscia ferratae et mirifice remediant vesicae vitia". Fortasse ex his etiam verbis cogi potest, fontes Dolichae ferro infectos fuisse. Nam Plinius, Nat. Hist. XXXI, II, 5 auctoritate M. Varronis prodit in Syria iuxta Taurum montem fontem (quem, quominus pro nostro habeamus, nihil prohibet) nasci, cuius aqua medeatur *calculosis* (cfr. supra ,,*vesicae vitia*", quae *aqua ferrata* sanari dicuntur). At coniectura perquam incerta manet.

a.) Cur numen et virtutes dei, non ipse deus, v. 1. nuncupata sint, integrum manet.

b.) Ultimum verbum versus 2, quamquam Mommsen ipse supplere supersedit, tamen propter ea quae scribit in annotatione ,,ubi ferrum EXCIDITUR" huiusmodi emendationem probare videtur. At in lapide clare legitur ,,exo", ut sola lectio Hirschfeldii (cfr. C. I. L. III Suppl. III 11927) ,,exo[ritur]" sana esse possit, quod tamen de *metallis* nascentibus vix usurpatur.

c.) Ferrariae Daciae Romanis nondum notae fuisse videntur, cum neque scriptor neque inscriptio quidquam prodat, quod ad eas referatur. Id eo maioris momenti esse arbitror, quod notitia *aurariarum*, quae non procul ab Apulo — unde lapis noster prodiit — Ampeli et Alburni Maioris sitae erant, multis sane testimoniis — inscriptionibus, tabellis ceratis — usque ad nostram aetatem pervenit. Sed compone, amabo, lapides quales diis aquarum consecrari solent velut qui in eadem Dacia ,,ad Mediam" (hodie Mehadia vel Herculesbad) effossi sunt. Ex iis unus C. I. L. III 1561 Aesculapio et Hygiae positus est ,,quod a longa infirmitate *virtute aquarum* numinis sui revocaverunt", alter C. I. L. III 1562 ,,Dis et *Numinibus*[1]) *aquarum*" dicatus est. Ceterum Mommsen optime perspexit versu 2 tituli nostri genium quendam significari, non tamen ,,ferrariarum" opinor sed ,,loci, ubi ferrum (aqua dilutum) exoritur", qua voce fons scaturiens apte indicatur. Tali enim genio lapis oblatus est C. I. L. III 1566, hic quoque ,,ad Mediam" repertus: ,,Herculi, *Genio loci, Fontibus calidis*" cett.. Inscriptionis itaque, de qua agitur, initium ego sic suppleverim:

Numini et Virtutibu[s aquarum, Fontibus calidis (?), Genio loci]
nato ubi ferrum exo[ritur . . . . ?]

De quonam Daciae fonte hic cogitandum sit, me invenire non potuisse aegre fero. Aquae ,,ad Mediam" et ,,ad Aquas" (cfr. C. I. L. III pg. 227) — in via Apulo Sarmizegetusam ducente —, etiam tum frequentatae, ferrum non continent[2]). Sed sive Romani, artis chemicae minime periti, propter saporem aliamve ob rem his fontibus ferrum inesse crediderunt, sive inscriptio nostra ad alias aquas ferratas pertinet, quibus his etiam temporibus haec terra abundat[3]), a propositione

---

1) Cfr. etiam C. I. L. VIII 2662 ,,Numini aquae Alexandrianae".

2) Cfr. Hirschfeld und Pichler, Die Bäder, Quellen und Kurorte Europa's s. v. Mehadia et Kis-Kalan. Utrum thermae Germisarae prope Apulum (C. I. L. III pg. 225), hodie Feredö-Gyógy, ferratae sint necne, nusquam reperire potui.

3) Cfr. Hirschfeld und Pichler o. c. s. v. Zalson, Radna, Rakos, Szombat-falva, aliis.

nostra — ,,ferrum'' ad aquam ferratam spectare posse — satis alienum fuerit, quam iam dudum lectoribus probatam esse spero.

Quodsi, ut demonstrare conati sumus, revera Dolichenus aquarum salubrium deus est, eo egregie explicatur, quod statua eius n. 38 iam saepius memorata, in caldario thermarum inventa est. Neque certe sculptor in hoc monumento fingendo id egit ut naturam bellicosam dei redderet, cum praeter bipennem omni armatura careat et benignitate, quae ore eius exprimitur, ad Aesculapii simulacra prope accedat. Cui rei consentaneum est Dolichenum hic non, ut alias, bipennem fulmenque minaciter intentare sed placido habitu in manibus gestare.

Dolicheni monumenta non prius relinquere volo quam de templis nonnulla annotaverim. Quae aedificia nomine duntaxat ab aliorum deorum aedibus diversa non fuerunt — ut Mithrae sacraria, quae vulgo ,,spelaea'' dicebantur —, cum in inscriptionibus aut ,,templum'' aut ,,sacrarium'' aut ,,hic locus'' appellentur. ,,*Dolichenum*'' dictitant nostrae aetatis viri docti, quam vocem monstruosam sine ulla dubitatione ex Notitia regionum vel Curioso urbis petiverunt, ubi tamen videbimus pg.   nomen dei casu accusativo a verbo ,,continet'' pendens pro eiusdem aede scriptum esse. Templa autem nostro his locis dicata fuisse constat Meidankiöi, Apuli, Carnunti, Viruni (?), Pfünz, Romae (duo), Bononiae (??), Plumpton near Penrith, Beweastle, Lambaesi, Coloniae Agrippinensis. De eorum situ hoc tantum commemorare refert, Carnunti, Pfünz, Lambaesi, ante castra collocata, Carnunti praeterea, ut videtur, Mithraeum contiguum esse[1]). Partem templi interiorem coloribus variis metallisque fulgentibus cultores orientales exornandam curabant, quorum vestigia in ectypis tam lapideis quam aheneis etiamnunc conspiciuntur. Inter apparatum sacrum vas parvae columnae impositum (,,crateram cum columella'' n. 64*b* ,,cantharum cum base sua'' n. 77) aquae lustralis plenum fuisse credendum est. Eiusmodi labra Pompeis[2]) et Carnunti in Mithraeo quodam[3]) inventa sunt. Columellas denique in titulo n. 64*b* enumeratas (,,altarium cum columella marmorea et aliam columellam item orbiculum cum columella'') iam cap. I τοῖς Chammanim comparavimus, qui Baalim Semiticis, ubicumque in imperio Romano colebantur, dicari

---

[1]) Etiam fragmenta Heddernheimensia n. 145 non procul a duobus Mithraeis eruderata sunt.

[2]) Rich-Müller, Illustrirtes Wörterbuch der Römischen Alterthümer pg. 335 s. v labrum.

[3]) Cumont o. c. II pg. 449, i, fig. 439 cfr. fig. 430.

solebant. Sic Melitae ex insula duae columnae in lucem prolatae sunt[1]), quarum in basibus Phoenicie et Graece dedicatio τῷ Melkart-Baal scripta est (Corpus Inscriptionum Graecarum Siciliae et Italiae n. 600). Ab his columellas Dolicheno sacratas haud multum forma discrepuisse contenderim.

Cum templis Dolicheni celeberrimis loca coniuncta erant, quo dei cultores contionis habendae, confabulandi, epulandi maxime causa convenirent. Huic enim usui destinata fuerunt Viruni et Romae in Esquilino triclinia (cfr. nn. 53, 73), Bononiae cenatorium (n. 107), in Esquilino praeterea schola (n. 70), nymphaeum, tetrastylum (n. 64*b*). Quae duobus aedificiis prioribus (scholae, nymphaeo) forma atque natura fuerit, satis compertum esse existimo, at de tetrastylo adhuc parum liquet. Quaeritur enim utrum hac voce aedificium significetur, cuius tectum *quattuor columnis* sustinetur, ut atrium tetrastylum a Vitruvio descriptum VI, 3, 1, an aula quadrata undique columnis saepta, quo sensu Iulium Capitolinum illo vocabulo uti a plerisque creditur[2]). In nullo tamen huius scriptoris codice disertis verbis ,,in tetrastylo'' scriptum est sed in Bambergensi et Palatino ,,intrastylo'' in editione vero principe Mediolanensi ,,uno stilo'', quod emendavit Salmasius ,,in tetrastylo.'' Quae coniectura, quamvis palmaris videatur, tamen eo offendit, quod adiectiva ex numero aliquo et — στυλος composita, ut decastylos, hexastylos, tetrastylos, talia modo valent ,,decem, sex, quattuor columnas habens.'' Quid Iulius Capitolinus dederit nescius — ,,uno peristylo'' ante Salmasium apte legebatur — hoc tantum lectori persuasum esse velim, nullo argumento vocem ,,tetrastylum'' ad peristylium indicandum adhibitum esse probari.

Saepissime tamen ,,tetrastylum'' in inscriptionibus, quas Fratres Arvales in luco Deae Diae proponendas curaverunt, redit[3]) suntque ibidem saeculo XVI rudera effossa, quae ad hoc aedificium referenda esse censeo. Delineavit ea brevi explicatione adscripta ,,Silvester (qui et Sallustius) Balthasaris f. Perutius'', cuius diagramma in museo Florentino asservatum v. d. Chr. Hülsen post Abekenum et Melchiorrium tertium edidit in Ephemeride epigraphica VIII tab. 2 et pg. 343 sic describit: ,,Vides ichnographiam et orthographiam aedificii *quattuor*

---

[1]) Cfr. Duruy, Histoire des Romains VI, imagines, quae verborum textui pg. 385 insertae sunt, et ibidem ann. I.

[2]) Gordiani tres c. 32 (scriptores historiae Augustae ed. Peter II pg. 50): ,,Est villa eorum via Praenestina ducentas columnas *in tetrastylo* habens, quarum quinquaginta Carysteae, quinquaginta Claudianae, quinquaginta Synnades, quinquaginta Numidicae pari mensura sunt.

[3]) C. I. L. VI 2065 seqq..

columnis fulti, quae surgunt e stylobate ex lapide Tiburtino in basiculae modum parte anteriore elaborato. A parte opposita apsis semirotunda conspicitur et in ea novem bases statuis imponendis." Aedificii tamen spatium idem vir doctus pg. 346 angustius esse iudicat (aliquanto plus quam m. 4,46 × m. 6,27 sine apside, columnarum altitudo m. 7, 82 est) quam ut tetrastylum esse possit, in quo Fratrum Arvalium collegium vesci solitum esse ex inscriptionibus discimus. Sed quicumque triclinia Pompeiana invisit, quam parvum spatium Romanis ad cenandum sufficeret, observaverit necesse est, neque video cur aedificium nostrum, quod a tribus lateribus aëri patebat, Arvales non caperet, cum praesertim ex eorum numero (duodecim) numquam plus novem, interdum tres vel quattuor soli in collegio adessent[1]). Apsidem etiam, qua aedificium terminatur, argumento esse puto monumentum, in inscriptionibus Arvalium tetrastylum vocatum, revera Perutii diagrammate repraesentari. Huius generis enim exedrae nomen „schola" optime tribui posse nemo profecto hisce in rebus vel mediocriter versatus negaverit. Schola autem tetrastylo adstructa esse solet, ut patet ex inscriptione ab eodem Chr. Hülsen edita atque tractata[2]), quae incipit:

Iulius] Aelianus ius scholae tetrastyli
.....] Aug. quo conveniretur a negotiantibus
]eboraris dedit.

Pauca, quae Hülsen de ratione, qua haec aedificia inter se cohaerent, pg. 291 annotavit, subiciam: „Dei due mentovati locali, *testrastylum* e *schola*, il primo certamente è quello più spazioso, ove il collegio celebrava le sue cene festive, mentre la schola sarà stata una specie di esedra attigua." Cui viro architecturae Romanae peritissimo si adstipularis et simul probabiliter aedificium tantum quattuor columnas habens tetrastylum dici (vide pg. 29) reputas, vides aedificium, quale Perutius delineavit, in inscriptione nostra aperte tetrastylum appellari.

Tetrastylum igitur, templo Dolicheni in Esquilino contiguum, eiusdem formae fuisse verisimile est et fieri potest, ut schola ab eodem M. Caecilio Rufo, qui tetrastylum (n. 64*b*) exornavit, Dolicheno oblata (n. 70) apsidis in modum huic aedificio adiuncta fuerit. Cum denique Arivales saepenumero *tetrastylum* ingressi in *triclinio* di-

1) G. Gatti apud E. de Ruggiero, Dizionario epigrafico di Antichità Romane I s. v. Arvales pg. 683. Semel tantum, anno 57 p. Chr. n., omnes Arvales sacris interfuerunt sed in Capitolio, non in luco Deae Diae, cfr. C. I. L. VI 2039.

2) Römische Mittheilungen V (1890) pg. 287 seqq..

scumbentes epulati esse dicantur[1]), triclinium, quod in titulo n. 73 memoratur, fortasse non conclave separatum fuit sed modo pro tribus lectis tricliniaribus, in tetrastylo ex lapidibus constructis, positum est. Nam tetrastyla epulis imprimis habendis accommodata fuisse et tabulae Arvalium et inscriptio[2]), cuius nuper memini pg. 30, testantur. Atque haec quidem de Dolicheni monumentis.

Iam ad finem festinanti nonnulla de Dolicheni cultoribus addenda sunt. Inter quos, etsi, ut cap. II vidimus, magnam partem ex militibus et Syris loco minus honesto natis constabant, tamen aliquot equestris ordines homines inveniebantur (cfr. e. g. tituli urbani nn. 75, 86 et Lambaesitani nn. 123, 124), quin etiam quattuor senatores, e quibus tres legionibus praepositi sunt (cfr. nn. 112? 128, 134), unus consulatus honore fungitur (cfr. n. 96). Illos viros tam illustres suam erga nostrum pietatem, dum publicum munus sustinent, monumentis propalam testificatos esse cultum Dolicheni ab imperatoribus aequis oculis aspici, quod pg. 17 enuntiavimus, manifestum reddit.

Carnunti et Romae in sedibus Dolicheni religionis, fortasse etiam Brixiae (cfr. n. 95), cultorum collegia constituta fuerunt. Nomina ac munera huiusmodi collegii sodalium ex titulo n. 75 comperies, ubi, qui templum Aventinense celebrabant „sacerdotes et candidati et colitores (sic)", enumerantur. Inter eos primum locum obtinent *patroni* et *candidati* „et supra collegium magis sunt quam ex collegio" (Th. Mommsen C. I. L. VI pg. 77). Itaque *notarius* sive *scriba* (cfr. n. 77) „quem observa nominari primo loco et quodammodo pro eponymo collegii magistro" (Mommsen l. l.), et *pater*, summa in sodalitate munera habentes, ex eorum numero sunt. Ipsi mutuo se appellant *fratres carissimos* et *collegas honestissimos*. Sequuntur „*principes* (cultorum opinor) aliquot; *curator templi*, qui est aedituus; *sacerdos*, quo significatur fortasse victimarius; *lecticarii dei* duo" (Mommsen l. l.). Cave tamen credas praeter tot socios honoribus praeditos grandem numerum hominum privatorum in collegio affuisse, cum de industria in huiusmodi corporibus munera aucta esse constet, quibus ambitio tenuiorum expleretur[3]).

Candidatis et lecticariis exceptis reliqui tituli in omnibus sodaliciis sacris et profanis admodum usitati sunt. „Candidatus" non munus indicare videtur sed tantum titulus honorificus esse, quo, qui de

1) Gatti l. l. pg. 692.

2) Römische Mittheilungen 1890 pg. 288—289.

3) Cfr. W. Liebenam, Zur Geschichte und Orginisation des Römischen Vereinswesens pg. 178 et 179.

collegio bene meriti sunt, ornantur, et ius eorum significatur ,,festos dies obire λευχείμονας'' (Mommsen l. l.). Commemorantur praeterea candidati in omnibus, quot scimus, Dolicheni collegiis Esquilini (n. 71), Carnunti (n. 50), Brixiae (n. 95) atque in cultu Honoris et Virtutis, Vestae (? ?), Veneris (?), Silvani[1]).

Quod ad dei lecticarios attinet non possum non coniecturam evulgare, quamquam confiteor me illam certis argumentis fundare non posse. Lucianus Apollinem Hierapolitanum[2]) — cuius dei insignia in monumentis Dolicheno sacris inveniri probabile est (cfr. pg. 22) quique certe in urbe Dolichae vicina colebatur — oracula edere narrat ita, ut sacerdotes, qui eius simulacrum portarent, numinis sui vi promoveret aut regredi cogeret. Itaque lecticarios nostros eodem officio functos esse putare haud absurdum fuerit[3]).

Sacerdotes Dolicheni, quocumque dei sacra pervenerint, creatos esse ex inscriptionibus apparet sed plura de eorum statu et munere tradere non queo. Quamvis diversis locis consisterent, tamen cum collegis commercium habuisse lapis n. 30 edocet a totius provinciae sacerdotibus (scilicet Pannoniae Inferioris) oblatus.

Mulieres quoque non paucas inter Dolicheni cultores adscitas esse ex plurimis inscriptionibus intellegitur.

Qui antea nostro operam dederunt viri docti, omnes magnum numerum Dolicheni cultorum et sacerdotum nomine vel cognomine ,,Marinus'' uti animadverterunt[4]). Hos omnes ex una gente sacerdotum oriundos esse censet Hettner[5]), quae ex Commagene profecta, orbem Romanum peragrans, dei sui cultum ubique propagaverit. Sed primum de *gente* loqui lubricum duco, quia ,,Marinus'' saepe cognomen est et gentilicia Marinorum differunt[6]). Tum duo Marini (nn. 67, 141) — quod Hettner ipse vidit[7]) — sacerdotio non funguntur. Omnino corpus (kaste) sacerdotum extitisse, qui profana negotia aspernati

[1]) Cfr. Kübler apud Ruggiero II s. v. candidatus pg. 79. Kubitschek apud Pauly-Wissowa 3e ed. III s. v. candidatus pg. 1466 comparat „candidatum sacerdotii" (Quintilianus declamationes 252 in fine). Idem vix doctus l. l. „candidatus numini", quod in titulo nostro n. 50 Carnunteusi legitur, vix sensu sacro accipiendum esse censet Domaszewskio auctore.

[2]) De Syria dea c. 36.

[3]) Idem divinationis genus etiam in cultu numinis Romani, Fortunae Antiatis, celebratum esse postea comperi ex Preller-Jordan, Römische Mythologie II pg. 193, cfr. Drexler apud Roscher I s. v. Fortuna col. 1547.

[4]) Primus vidit Braun, Jupiter Dolichenus pg. 5.

[5]) o. c. pag. 8 seqq..

[6]) Aurelius (n. 15), Julius (nn. 67, 141), Flavius (n. 70).

[7]) o. c. pg. 10.

sacris Dolicheni solum vacarent[1]), nullo argumento stabilitur. Quin M. Aurelius Apollinaris, qui n. 26 se sacerdotem Dolicheni praedicat, idem decurio municipii Mursellensium est, ut ex n. 27 perspicitur. Rectissime tamen Hettner observavit quinque exemplis prolatis[2]) nomen Marini haud raro apud homines originis Syriacae redire. Quibus adicere libet ,,M. Aur. M. f. Fl. Marinum Sidone natum'' (Eph. ep. IV 894-c, 21), ,,C. Iulium Marinum natione Syrum'' et eiusdem fratrem ,,M. Iulium Marinum'' (C. I. L. X 3450), ,,Marinum episcopum Heliopoleos''[3]).

Viam vocis explicandae monstravit Ed. Meyer[4]), qui ,,Marinus'' ex Syriaco ,,marînâ'' = ,,dominus noster'' corruptum esse et initio titulum honorificum sacerdotis fuisse putat. Placeat quamvis haec viri doctissimi coniectura, in uno certe offendit, quod idem nomen etiam compluribus Syris condicionis profanae datum est (vide supra). Igitur potius pro nomine proprio, apud Syros valde usitato, habuerim, quod leniter in speciem Latinam transformaretur et ab iis, qui civitatem Romanam accepissent aut accepisse simularent, novis nominibus Romanis — praenomini et gentilicio — cognominis loco adderetur[5]). Conferri potest nomen ,,Antiochus'', quod sine dubio a Syris crebro usurpatum ter in lapidibus nostris (nn. 48, 75, 99) legitur, et ,,Antiochianus'' (n. 5) ab Antiocho ductum. Quae autem vocis ,,Marinus'' forma Syriaca fuerit ignoro, sed a ,,mar'' = ,,dominus''[6]) derivatam esse certum videtur. Sic a Cassiodorio[7]) ,,Maris'' quidam episcopus Dolichae appellatur, unde nominibus ex ,,mar'' compositis etiam ipsos Dolicheni populares uti solere perspicuum est. Postremo cum semel origo Syriaca vel Commagena Marinorum probata sit, iis potissimum Dolicheni sacerdotia mandata esse nemo profecto mirabitur.

[1]) Quod quidem in religionibus orientalibus plerumque invenitur cfr. J. Réville o. c. pg. 52.

[2]) o. c. pg. 10.

[3]) Cfr. De Vit, Onomasticon s. v. Marinus XIV; cfr. etiam „Marinus, civis Hierosolymitanus" l. l. IX et Marinus, pater imperatoris Philippi Arabis, qui fuit Bostra, ex urbe Batanaeae, oriundus.

[4]) Apud Roscher I s. v. Dolichenus col. 1192.

[5]) De nominis proprii cognominis loco usu apud peregrinos civitate donatos cfr. René Cagnat, Cours d'Epigraphie Latine 3e ed. pg. 75 seqq..

[6]) V. cl. M. Th. Houtsma, quem hac de re adii, vocem mihi interpretatus est.

[7]) Historia Tripartita IX 3; cfr. Nicephorus, Historia Ecclesiastica XII 5.

MONUMENTA ET INSCRIPTIONES.

Monitum.

Quas leges in donariis Dolicheni recensendis mihi ipse scripserim, quicumque collectionem meam perlustraverit, facile intelleget. Inscriptiones ita proposui, ut, quantum potui, eundem ordinem servaverim, quo in C. I. L. et C. I. R. (= Corpus Inscriptionum Rhenanarum ed. Brambach) editae sunt, iisque monumenta, quae aut inscriptione carebant aut nondum in C. I. L. vel C. I. R. recepta erant suo quaeque loco inserui. Sed interdum ab hac norma discedendum fuit, ut in titulis templi Carnuntensis, qui in C. I. L. aliis inscriptionibus dirempti leguntur, vel templorum urbanorum, ubi prius inscriptiones sacrarii Esquilini, deinde Aventinensis dedi, cum in C. I. L. ordine inverso inveniantur. Ex Aventinensibus enim lapidibus duos in Esquilinos transferendos esse probare non potui, nisi hos prius tractassem. Nemo denique vituperabit, opinor, quod inscriptiones Italiae, quamvis aliae in aliis voluminibus C. I. L. collectae sint, praemissis monumentis urbanis una serie foras dare decrevi.

Iam Hettner o. c. pg. 23 diligentissime quaerere aggressus est, num omnes tituli, quibus notae ,,I. o. m. D.'' praescribuntur, Dolicheno oblati sint, et nonnulla alia Iovis cognomina citavit, quae a littera D incipiunt, ut Damascenus, Defensor, Dianus, alia. Haec tamen nomina semel tantum vel bis reperiuntur, ut illa nostro iure praetermittere liceat; contra ,,Iovi Depulsori'' 14 lapides inscriptos Hettner enumeravit diversissimis in terris eruderatos, unde huius dei cultum aliquantopere saltem floruisse apparet. Sed cum Dolicheni numen longe pluribus sanctum fuisse in propatulo sit, omnes lapides ,,I. o. m. D.'' notis insignes nostro dicatos esse credo, exceptis videlicet iis, quos alii deo donatos esse pro certo statui possit. Sic cum Hettnero lapides C. I. L. III 4035 et 4036 (,,I. o. m. D.'' dicati sunt) Poetovione effossos exclusi, quia in hoc oppido Depulsorem cultum esse Hettner optime demonstravit (pg. 24) neque ullum Dolicheni monumentum ibi comparuit. At cum titulos Virunenses C. I. L. III 6015, 4 (n. 55) et 4790 (n. 54) Dolicheno abiudicaret (pg. 24), iusto longius processisse censeo. Quippe Viruni non paucos homines nostro deditos fuisse et triclinium

testatur, cuius in n. 53 mentio est, et templum dei, quod prope urbem situm fuisse videtur; cfr. sub n. 56. Depulsoris certe donarium ibi eruderatum est C. I. L. III 4786, idque una cum inscriptione (C. I. L. III 4791, cfr. Suppl. III pg. 1813) ,,I. o. m. D.'' oblata. Hic quidem D(epulsori) solvendum esse Hettnero libens assentior.

Extant aliqui tituli, quorum primae litterae ,,I. o. m. D. D.'' sunt, C. I. L. III Suppl. II 10059, C. I. L. III 5582, V 2475. Hettner potius Mommsenum ,,d(is) d(eabus)'' quam Seidelium ,,d(eo) D(olicheno)'' expedientem secutus est (pg. 24, 25), recte, ut videtur; nam ,,I. o. m. deo Dolicheno'' nusquam reperitur, at saepius ,,I. o. m. dis deabus.'' Cur tamen inscriptionem C. I. L. VI 419 (n. 87) non dedignatus sim, sub ipso numero videas.

Lapides C. I. L. III 4296 et C. I. L. V 2800 ,,I(nvicto) D(eo)'' non ,,I(ovi) D(olicheno)'' positos esse cum Hettnero (pg. 25) arbitror.

Titulos Ligorianos ad unum omnes spernere nolui propter elementa genuina, quae inter commenticia latent, ut e. g. in n. 92, ubi vide. Quid in ectypis nn. 89, 90, 91 ab eodem falsario traditis verum, quidve fictum sit, pro viribus, ut eruerem, operam dedi. Verumtamen inscriptiones, quae originem spuriam impudentius prae se ferrent, totas exscribere supervacaneum habui; sunt autem hae: C. I. L. VI-5, 415*, 422*, 444* (Roma), C. I. L. V 469* (Brixia).

Syria.

1. Antiochia ad Taurum (*Mârasch* prope Dolichen).

Humann und Puchstein, Reisen in Klein-Asien und Nord-Syrien pg. 399, fig. 58.

Ectypum ex lapide calcario servatur apud Turcam quendam. Inter duas antas Dolichenus fictus est stans in tergo tauri dextrorsum versi. Animal exiguae staturae est, si cum deo comparas. Ipse barbatus sinistra tenet fulmen; dextra, qua bipennem vibrasse videtur, periit itemque pars superior capitis. Super chitonem lato cingulo cinctum kandys pone tergum fluitans nodatus est. Bracis calceisque crura tecta sunt.

Propter vestitum Persicum, quo deus utitur, et artis rationem Puchstein hoc monumentum saeculo primo a. Chr. n. vindicat.

Moesia Inferior.

2. Tropaeum Traiani.

Archaeologisch-epigraphische Mittheilungen aus Oesterreich XIX (1896) pg. 86, n. 20.

Ara ex lapide calcario alta m. 0,8, lata m. 0,67.

I O / Ɒ o L[1])
I V — V © [2])

[1]) I(ovi) o(ptimo) [m(aximo)] Dol(icheno). — [2]) Si, quod nescio, ara his tantum duobus versibus inscripta erat, fortasse legendum esset: ,,Iu[l(ius)] v(oti) co(mpos).''

3. Inter Noviodunum et Istrum in vico ,,*Nicolitzel.*''
C. I. L. III Suppl. I 7520.
Extat Bucaresti in museo publico.

I. o. m. | Dolchen(o) | pro salute | imp. M. Aureli | Antonini Pii | Aug. et Iuliae Do|minae matri | castrorum | Polydeuces | Theophili et | Lucius Kapito | et Flavius Re|[gi]nus[1]) sacer|dotes Iovis | Dolcheni vo|tum posuerat (sic) | l(ibentes) m(erito).

[1]) Flavius Reginus procul dubio in lapide in vicinia reperto redit C. I. L. III Suppl. I 7513. Titulus positus est intra annos 213—217 p. Chr. n.

4. *Karaorman.*
V. Dobrusky, Matériaux d'archéologie en Bulgarie (Sofia 1899) pg. 63, n. 28*).

Basis ex lapide calcario ex qua surgit arboris truncus infractus, cuius pars inferior superiore latior est. Iuxta anguis sculptus est capite elevato.

Διὶ Μεγίστῳ Δολιχηνῷ | ὑπὲρ σωτηρίας καὶ νείκης τῶν κυρίων αὐτοκρατόρων | Κάστωρ καὶ Ἀκύλας[1]) *καὶ Κάστωρ καὶ Πολυδεύκης*[2]) *κατὰ | κέλευσιν τοῦ θεοῦ οἱ ἱερεῖς ἀνέθηκαν.*

[1]) ,,*Ἀκύλας*'' sine dubio Graece pro ,,Aquila.'' ,,Aquila Barsemon'', sacerdos Dolicheni, memoratur in tit. n. 152, haud ita procul effosso.

[2]) ,,Polydeuces'' sacerdos etiam tit. superiorem n. 3 cum collegis obtulit.

Pro Severorum salute monumentum nostrum dedicatum esse certum videtur lapidibus nn. 3 et 152 comparatis.

5. *Gorsko Kossovo* prope *Sevliewo.*
V. Dobrusky in opere sub n. 4 laudato pg. 62, n. 27.

---

*) Tituli 4, 5, 24 ab amico Dr. Edmund Groag bibliothecae seminarii archaeologici et epigraphici Vindobonensis antistite suppeditati sunt.

Ara quadrata.

I. o. m. D. | Aurel(ius) An|tiochia|nus sac(erdos) | et Flavius.

Dacia.

6. *Bilak.*
C. I. L. III Suppl. II 7625.

I. o. m. | Dulcen|o P. Caius | Valerinu|s i(mmunis?) leg(ionis) X Fre|tensis (centuriae) Re|s[e]r...... Neridon|is v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).

Titulum restituit A. von Domaszewski addens: ,,v. 6 seqq. quae proposui, quamvis incerta sint, tamen litterarum vestigiis, quae in ectypo comparebant, satis bene videntur convenire.''

7. *Kapjon.*
C. I. L. III Suppl. II 7630.

Dolicen[o]

8. *Varmezö.*
C. I. L. III Suppl. II 7645.

I. o. m. | Do.li|che.no | pro sa|lute d̄d̄(ominorum) | n̄n̄(ostrorum)[1]) M. Aur. | Antonini Pii | Aug(usti) n(ostri) P. Iul. Fir|minus b(ene)f(iciarius) | co(n)s(ularis) v. s. l. m.

,,,,Antonini Pii Aug. n.'' in litura reposita sunt pro Getae nominibus erasis.'' (von Domaszewski). — [1]) Incuria lapicidae ,,d̄d̄ n̄n̄'', postquam nomina Getae deleta sunt, relictum esse videtur.

Titulus positus est anno 211 aut 212 p. Chr. n.

9. Napoca, (9, 10).
C. I. L. III Suppl. II 7659, Hettner (vide pg. 1 ann. 3) 1.
Ara quadrata; nunc Clausenburgi in museo.

I. o. m. Dolic. | pro salute | Ael(ii) Lycini[1]) | p[r]oc(uratoris) Augg. | /////

[1]) ,,Lycinus'' omnibus nominibus ,,P. Sempronius Aelius Lycinus'' audit; fuit Ancyra oriundus; ex titulo nostro procuratorem Daciae Porolis(s)ensis fuisse eum apparet; eiusdem cursum honorum invenias in Prosopographia imperii Romani III S, 258. Memoratur praeterea C. I. L. III 244, Suppl. I 6054, 6756, 6757. In tit. C. I. L. III 244, novissimo aetate, ut videtur, dicavit statuam Caracallae aut Elagabalo, unde sequitur titulum nostrum Caracalla et Geta vel Severo imperantibus oblatum esse.

10. Napoca.
C. I. L. III Suppl. II 7660, Hettner 2.

I. o. m. Dol. | VIE PATEF[1]) | et Justin(us) | ?

[1]) „Ulp(i) Pater[n(us)]" restituit Mommsen, quamvis dubitanter, cui Hettner assentitur.

11. Apulum, (11, 12).
C. I. L. III Suppl. II 7760, Hettner 8.
Ara parva.

I. o. m. Doliche|no pro salute | imperator(is) | Ael. Valentinus vet(eranus)[1]) | sacerdos | templ(um) impendio suo | restituit.

[1]) „Valentinus vet(eranus)" in litura restituta sunt. „Propter litteras aram saeculo tertio attribuit O. Hirschfeld." (Hettner).

12. Apulum.
C. I. L. III Suppl. II 7761, Hettner 7.
Columna.

I. o. m. D. | Aurelii | Alexan|der et Fla|us Suri | negotia|tores ex | voto l(ibentes) p(osuerunt).

13. Ampelum, (13, 14, 15, 16).
C. I. L. III Suppl. II 7832, Hettner 5.
Ara.

|Deo ////
N /omm
ac. Dulc

O. Hirschfeld (Sitzungsb. d. Wiener Akad. 1874 vol. 77, pg. 394) supplevit: „Deo [aeter]|n(o) [C]omm|ag(enorum) Dulc(eno)......" collatis titulis duobus sequentibus (14, 15). Sed cum adhuc nequaquam constet, utrum Dolichenus idem sit ac deus Commagenorum necne (vide sub n. 15), equidem v. 3 emendare malim: „[s]ac(erdos) Dulc(eni)", quod lapis a sinistra parte mutilus aeque admittit.

14. Ampelum.
C. I. L. III 1301*a* Suppl. II 7834, Hettner 3.
Columna.

I. o. m. | Comm*a*|genor*um* [e] | 'Erno[1]) *Ma*|rinus *Ma*|rian(i)[2]) *Bas(us)*[3]) | sacerdos *I.* |o. m. D. pro s(alute) *s(ua)* | suorumq(ue) o|mnium vot(um).

Quae litteris inclinatis scripta sunt, adhuc a viris doctis Ackner et Müller, e quorum collectione titulus in C. I. L. III receptus est, legebantur, sed, quo tempore von Domaszewski lapidem contulit, iam evanuerant. — [1]) v. 4 in. Ackner et Müller „'ETErno" tradunt, quod per dittographiam ortum esse suspicor; in fine v. 3. „ae" supplevit von Domaszewki, sed ratione spatii habita, quod in lapide superest, „e" praestat (fuerit fortasse Æ). — [2]) „Marianus" a „Marinus" ex „Marinianus" fictum esse, coniectura est Hettneri. — [3]) De „Bas(us)" adhuc non liquet. Vide tamen titulum C. I. L. III Suppl. 7756 a Domaszewskio laudatum, ubi Aurelius quidam Martinus Basus memoratur. Hettner „ad munus sacerdotale litteras referendas esse" censet, sed fortasse tantum „Bas(sus)" non „Bas(us)" supplendum est, ut vir noster duo cognomina gerat. At „Basus quoque nomen est, cfr. C. I. L. VIII 3205, X 2820, Eph. ep. VII 1238-c.

15. Ampelum.
C. I. L. III 1301*b* Suppl. II 7835, Hettner 4.
Columna.

I. o. m. D. et[1]) | deo Com|maceno | Aurel(ius) | Marinus | [et] Adde|*ba*r Seme|*i e*t Ocea|*n*us So|c*r*atis sa|c*e*rdotes | v(otum) l(ibentes) p(osuerunt).

„Litterae, quas inclinavi, obtectae erant." (von Domaszewski). — [1]) Hettner I. o. m. D. „et(erno)" solvit, Iovem Dolichenum et deum Commacenum unum et eundem deum esse contendens. Quod licet non prorsus negaverim, tamen haec mihi contrarium probare videntur: In titulo superiore n. 14 nequaquam opus fuisset, ut post „sacerdos" denuo „I(ovis) o(ptimi) m(aximi) D(olicheni)", ipsis dei epithetis repetitis, adderetur, nisi, qui dedicavit, se alteri deo columnam posuisse, alterius sacerdotem esse disertis verbis indicare voluisset. Et profecto in omnibus titulis Dolicheno oblatis a SUIS sacerdotibus numquam (uno excepto n. 3, ubi tamen dei epitheta omissa sunt) post „sacerdos" nomen dei iteratur. Praeterea titulus n. 27 argumento nobis est, deum Commagenum IUXTA Dolichenum invocatum esse. Lapis enim dicatus est: „I. o. m. D. 'E deo paterno Comageno" neque siglum 'E „eterno" solvi posse facile crediderim. Titulum n. 13, quamvis Hettneri sententiae favere videatur, non curo, cum plane mutilus sit (vide quae sub eo titulo disputavi).

16. Ampelum.
C. I. L. III 1302, Seidl (vide pg. 1 ann. 2) 17, Hettner 6.

Columella.

I. o. m. | Dolic. | Modes | ///?

17. Sarmizegetuza.

C. I. L. III 1431, Seidl 28, Hettner 9, Wilmanns 2444.

I. o. m. D. | pro salute M. | Bassi Aquilae et | Gai Gaiani | ex coll(egio) fabr(um) | dec(uriarum) IIII | v(otum) s(olutum) l(ibenter) m(erito).

18. Tibiscum.

C. I. L. III Suppl. II 7997, Hettner 10.

Ara.

I. o. m. D. | Iulius | Valentinu[s] | [f]lamen m(unicipii) T(ibisci) | pro salutem | suam suorum|que omnium | contubern[al]ium | v. l. m. p.

„Litterae sunt alterius saeculi exeuntis Hirschfeldio teste." (Hettner).

19. Cibinium.

C. I. L. III 1614 Suppl. II 8044, Seidl 29, Hettner 11.

Lapis incertae originis.

I. o. m. D. | ex praecepto | num(inis) Aesculapi | somno monit(us) | Veturius Marci|an(us) vet(eranus) l(egionis) XIII G(eminae) p(ro) s(alute) s(ua) suor[um]q(ue).

Moesia Superior.

20. Colonia Ulpia Ratiaria, *Arčer Palanka*, „in domo vici Turcarum prope fontem." (von Domaszewski).

C. I. L. III 6290 Suppl. II 8084.

Do
li
-IE-[1]
NO.
I.O.M
AVR SVRI *A*
*NVS*EXVO
*TO*RENOV *A*
VIT

Descripsit lapidem detritum et ectypum sumpsit von Domaszewski, litteris inclinatis ex exemplo Desjardinii (Annali dell' Instituto 1868,

45) receptis. Idem apte confert C. I. L. III 3463 „Hammoni I(ovi) o(ptimo) m(aximo)". — [1]) Versus 1, 2, 3 meo Marte supplevi, cum lapis a viro originis Syriacae positus esse videatur. Nomen „Dolichenus" satis simili modo in quattuor partes aequas divisum reperitur n. 8.

21. *Kumanova.*

C. I. L. III 1697 Suppl. II 8243.

Ara quadrata.

[I.] o. m. D. | pro salute | imp. M. Aureli | Antonini Pii | Aug. et Iuliae | Aug. matri kast(rorum) | Achilleus eorun|dem servus pos(uit) | Kal(endis) Novembr[ib(us)] | Sabino II et Anu|lino cos.

Est anni 216 p. Chr. n.

Dalmatia.

22. Salonae; in museo.

C. I. L. III Suppl. II 8785, Hettner 55.

D(is) M(anibus) | Aurelius Ger|manus Barla|ha sacerdos | I. o. m. Doli|cheni vivus | sibi posuit et | Syre coniugi. — *ascia.*

23. Arupium.

C. I. L. III Suppl. II 10044.

Fragmentum columnae.

I(ovi) o(ptimo) D(olicheno) s(acrum) | Octavius | Eu[f]emus | ////?

Pannonia Inferior.

24. *Gradina* (pagus in ripa fluminis Istri situs est haud procul ab Acumineo a parte meridionali).

Vjestnik, Nova series I (1895) pg. 174 seqq..

Arae fragmentum in museo Agramensi conservatum. In summa ara vestigia tauri iacentis dextrorsum versi conspicua sunt.

[I. o.] m. Dolichi[no] | ////?

25. Acumincum, (25, 26, 27).

C. I. L. III 3252 Suppl. III 10241, Seidl 30 et Nachtrag pg. 29 et tab. II, 2, Desjardins, M(onuments) é(pigraphiques) d(u) M(usée) n(ational) H(ongrois) pg. 11-12, n. 29, Hettner 13, Wilmanns 1582.

Monumentum e marmore albo perfectum nunc servatur in museo Pestinensi.

Taurus dextrorsum versus altus (sine basi) m. 0.37, latus m. 0.22. Caput in collo defractum denuo corpori affixum est. Totum monumentum expressit Desjardins l. l. arte, quae ,,Daguerrotypie'' vocatur, usus, capite omisso lithographice Seidl l. l., qui in tergo tauri vestigia scalpri et limae superesse affirmat, unde deum, ut assolet, tauro institisse colligi possit. In imaginibus (quid mirum?) supra indicatis, nihil huiusmodi vidi neque Desjardins in monumento ipso examinando animadvertisse videtur.

I. o. m. D. | Aur(elius) Iustianus dec(urio) et Ulp(ius) | Silvinianus dup(larius) ale Pan(noniorum) | [pr]o se.

26. Acumincum.

C. I. L. III 3253, Seidl 1 et tab. I, Sacken und Kenner, Die Sammlungen des k. k. Münz- und Antikencabinetts n. 101*d*, pg. 34, Hettner 12.

Monumentum marmoreum altum ± m. 0.90 conservatur Vindobonae in antiquario.

In basi, in qua est inscriptio, stat taurus dextrorsum versus, cuius in capite sedet aquila. Dextrum pedem priorem in arietis capite ponit. In tauro stat Dolichenus barbatus, pileo tectus, loricam indutus, in qua aquila sculpta est, paludamento amictus. Quid sinistra tenuerit deus, incertum est, dextrum bracchium deest. Ara, qua corpus tauri sustinetur, tertia aquila ornata est. Balteo, quem adhuc in lorica cernimus, a dextra parte deum gladium gessisse verisimile est.

I. o. m. Dol. | Aurelii Sabinianus et Ma|ximus et Apollinarius[1]) sacc. (= sacerdotes) | vot(um) l(aeti) l(ibentes) pos(uerunt).

[1]) ,,Aurelius Apollinarius'' non potest non M. Aur. Apollinaris'' esse, decurio municipii Mursellae, qui duas aras sequentes Dolicheno dedicavit.

27. Acumincum.

C. I. L. III Suppl. III 10243.

Arae duae.

a) I. o. m. D. 'E[1]) deo paterno | Comageno M. Aur. Ap|ollinaris dec(urio) m(unicipii) Mur|selensium[2]) v. s. l. m.

b) I. o. m. D. et deo pater[no] | Comgeno M. Aur. Apol|linaris dec(urio) m(unicipii) Mur|selensium v. s. l. m.

[1]) De 'E conferantur, quae sub n. 15 annotavi. — [2]) Municipium Mursella sine dubio oppidum est prope Mursam, quod appellatur in tabula Peutingeriana Mursa minor, apud Ptolemaeum 2, 15, 8 et in Itinerario Hierosolymitano Mursella.'' (von Domaszewski).

28. Lussonium, (28, 29).

C. I. L. III 3316 et 3317, Eph. ep. II 591, Seidl 3 et tab. III 1 et 2, Desjardins M. e. d. M. n. H. pg. 10 et tab. V et VII, Hettner 14, A. von Domaszewski, Die Religion des römischen Heeres pg. 60 n. 121 et tab. IV fig. 1*a* et 1*b*, Ed. Meyer apud W. H. Roscher, Ausführliches Lexicon der Mythologie s. v. Dolichenus col. 1193 et 1194, et S. Reinach apud Daremberg et Saglio, Dictionnaire des Antiquités Vol. II s. v. Dolichenus pg. 311, fig. 2489, primam tabulam (n. 28*a*) iis, quae de nostro disputaverunt, exempli gratia inseruerunt; hic quartam quoque partem tabulae alterius (n. 28*b*) exhibet l. l. pg. 332 fig. 2490.

Monumentum extat in museo Pestinensi. Duae tabulae aeneae, in forma pyramidis, auro argentoque olim tinctae, altae m. 0,36, infra latae m. 0.37. Num totum monumentum ex *tribus* laminis primo compositum fuerit — quarum una hodie deperdita est —, ut vulgo putatur, incertum manet, cum aliae tres id genus pyramides (nn. 58, 63, 145) pariter tertia lamina careant.

a. Insistit Dolichenus tauro dextrorsum verso, cuius corpus lato ligamine cingitur et caput intuenti obversum est. Deus barbatus, thoracem indutus, sinistra fulmen tenet, dextra elevata instrumentum quoddam vibrat, quod viri docti plerumque pro malleo habuerunt. Immo bipennis est, quod telum noster gestare solet. Bipennem enim eiusdem formae in manibus Hephaesti vel Lycurgi Bacchicum thiasum celebrantis conspicimus (Dictionnaire des Antiquités Vol. I s. v. bipennis pg. 712 fig. 860). Conferantur etiam bipennes Anthedone repertae (American Journal of Archaeology VI (1890, March-June) tab. XV 1, 2). Caput dei globo dimidiato tectum est, sive galea sive pileo. A sinistra parte Victoria dextra manu deo coronam tendit, sinistra palmam gerit. A dextra parte iuxta caput Dolicheni stella et prope caput tauri ara ardens exsculptae sunt. In loculo supra Dolichenum protomae duae conspiciuntur, quarum altera luna dimidiata caput ornata procul dubio Luna est, alteram femineam putares, nisi corona radiata Solem esse indicaret, qui, quod sciam, apud antiquos semper sexus masculini habetur. Faciem Solis muliebri similem esse ne miremur recordantes deum saepissime puerum effingi ab artificibus

antiquis genis teretibus vultuque rotundo *). Summum trigonum supra protomas illas nescio quo ornamento (laserpicium? Seidl) expletum est.

In scutula sub tauri pedibus:

Iovi Dulcheno P. A. El.[1]) | Lucilius Ɔ coh. I AL. PEQ[2]).

[1]) ,,P(ublius) Ael(ius). — [2]) (centurio) coh(ortis) I Alp(inorum) eq(uitatae)'' (Mommsen).

b. Altera lamina lineis transversis divisa est in quinque partes. A summa pyramide incipiens vides in prima florem (laserpicium?), in altera aquilam, in tertia Solem (de quo conferantur quae supra disputavi) et Lunam, super cuius umerum sinistrum fax ardens eminet. Iuxta Solis caput flagellum sculptum est. Quarta pars, quae altero tanto latior est quam superiores, exhibet haec: A sinistra dorsum tauri cingulo cincti, dextrorsum gradientis premit Dolichenus habitu deo tabulae *a* fere similis, nisi quod ab umero dextro lacinia vestis pendet neque dextra bipenni armata est. Inter caput dei et dextram elevatam nescio quid expressum est ovo non absimile, quod linea transversa in partes fere aequas divisum est. Tauro obvia ibex graditur, quae tergo deam sustinet tunicam talarem indutam. Dextra alterum cornu ibicis tenet, velamen sinistrae elevatae iniectum est. Inter taurum et ibicem ara ardet. Supra aram ornamentum quoddam cernimus, quod cum Desjardinio uvam esse perhibuerim, quam duo lemnisci circumvolitant.

In quinta vel infima parte tabulae (quae eiusdem latitudinis ac quarta est) noster aediculam tenet, forma cum deo partis superioris congruens. Taurus tamen deest. Sub fulmine, quod deus manu sinistra gestat, ara. Ab utraque parte aediculae signum militare terrae infixum est, cuius aquila ad aquilam alterius signi oculos convertit. In utroque angulo loculi deum Dolicheno similem genibus tenus expressum videmus, supra binas protomas taurorum rosa (rosette) coniunctas extantem. Dei inter sese intuentur. Dexter manu sinistra fulminis instar spicas tenet, dextra elevata rosam (rosette); sinister manu sinistra fulmen gerere videtur.

Tabellam ansatam parti quintae huius laminae substratam titulum duobus versibus scriptum gestasse verisimile est, sed litterae ad unum omnes evanuerunt.

c. Summa pyramis Victoria in globo stanti ornata fuit, quae nunc videtur periisse.

---

*) Vide sodes, quae de ea re exposuit Rapp apud Roscher o. c. s. v. Helios, col. 2002 et 2003 et figuras columnis 2003-2004 et 2005-2006 insertas.

29. Lussonium.

C. I. L. III Suppl. III 10297.

Extat Pestini in museo.

I. o. m. Dol. | L. Iul. Quirin[a] | Passenianu[s] | praef(ectus) | pro sua salut[e] | et M. Iul. Catu[l|l]i patris [v.] s. [l. m.]

30. *Stuhlweissenburg.*

C. I. L. III 3343, Seidl 19 et Nachtrag pg. 29 et tab. II, 1, Desjardins o. c. pg. 12 et tab. IV, 30, Hettner 15.

Ara ex lapide albo calcario alta ± m. 0,84, lata ± m. 0,525 servatur in museo Pestinensi.

I. o. [m.] | Dolc. pro | sal(ute) dd(ominorum) nn(ostrorum) | Augg. tot(ius) pr(ovinciae) | sacerdote[s].

Imagines Seidelianam et Desiardinianam inspicienti in summa ara vestigia apparent, e quibus statuam Dolicheni a sacerdotibus dicatam esse concludas. Quod et Seidelio in mentem venit. At si reliquiae dubiae non essent, nonne Desjardins, qui ipse monumentum examinavit, cuique libelli Seideliani innotuerunt, huius rei mentionem fecisset?

31. Aquincum, (31, 32?).

C. I. L. III 3462, Seidl 22, Hettner 16.

I. o. m. | Dulceno | Heliopolitan(o) | sacru[m] fecit T. (?)[1]) | Aurel. Secu[nd(us)] | vet(e)r(anus) leg. II Ad(iutricis) [P(iae) F(idelis)] | pro se et suis posu[it] | v. s. l. m.

[1]) ,,Titum praenomen fuisse verisimile est, quod Macko tradit FECIT. F. . Lapidem fuisse statuae basim dicit Seidl Schoenvisnero, ut videtur, auctore.'' (Hettner).

32. Aquincum?

C. I. L. III Suppl. III 10606, Hettner 17.

Lapis in museo Pestinensi repertus inter reposita.

hominis		grypi
stantis	rota	pars
pars ima		inferior.

I. o. m. Dol.

Gryps pedem priorem rotae imponens saepe cum Nemesi coniungitur (cfr. Otto Rossbach apud Roscher o. c. s. v. Nemesis col. 163), cuius deae templum Aquinci — *Altofen*, haud procul a *Buda-Pest* — eruderatum est; cfr. C. I. L. III Suppl. III pg. 1697 n. 10439 seqq.; itaque illinc ectypum nostrum in museum Pestinense delatum esse reor.

Pannonia Superior.

33. Municipium Latobicorum (ut videtur cfr. C. I. L. III 3900), (33, 34).

C. I. L. III 3908, Seidl 27, Hettner 20.

Extat lapis Laibaci in museo, scriptus litteris inaequalibus neque bonis.

I. o. m. D. | et I. o. m. H(eliopolitano) | Aurelius Do|mittius qu|m (= cum) Fl(avio) Casto|re et Aur. Maxim|u fratribus e|x iuso nu|minis v. s. l. m.

34. Municipium Latobicorum (ut videtur).

C. I. L. III 3909 Suppl. III 10784, Seidl 26, Hettner 21.

Laibaci in museo.

I. o. m. D. | M. Aur. Valen|tinus b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) | leg. XIIII G(eminae) | v. s. l. m. |

IM!!///T//ı | LTP//SC///[1]) | cos. | kal. Novem | brib.

1) Versus 6, 7 dedi secundum collationem Hirschfeldii *), cuius verba subiciam: ,,v. 7 potest fuisse ,,et P[ri]sc[o]'', sed quomodo v. 6, ubi imp(eratoris) (fortasse Antonini) nomen erasum videtur, supplendus sit, non perspicio.''

35. *Daruvar*, (35, 36).

C. I. L. III 3998 (cfr. Suppl. III pg. 1745 in calce), Hettner 18.

I. o. m. Dol. | pro salute impp. L. Sep(timii) | et M. Aur(elii) Antonini | [A]ug[g]*//////////* Q Car|maeus Iulianus 7 leg. VII | Gem(inae) cum Iul(ia) Att[i]cilla et | Carma[e]is Secundo et Atti|cilliano fili[i]s v. s. l. m.

,,Oblatum est donarium intra annos 198—209.'' (Hettner).

36. *Daruvar.*

C. I. L. III 3999, Hettner 19.

I. o. m. | Doloceno | Secundius | Restutus 7 | leg. X Gemin(ae) | pro se et | [su]is | posuit.

37. Brigetio.

C. I. L. III Suppl. III 10991.

---

*) Potest etiam esse Domaszewkii, qui una cum Hirschfeldio Supplementum Pannoniae Superioris edidit. In cuius provinciae inscriptionibus recensendis hunc tamen solum laudabo.

Vindobonae in museo.

*I*ovi | Doliche(no) | Valeriu*s* | Hermes | v. s. l.

,,Quae dantur inclinatis, accesserunt ex Voetterianis (schedis sc.).'' (Hirschfeld).

38. Carnuntum, (38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50).

C. I. L. III Suppl. III 11106, Kenner, Mittheilungen der k. k. Central-Commission zur Erforschung und Erhaltung der Kunst- und Historischen Denkmale, Wien 1876, tab. 15 fig. 1, cfr. pg. 55 seqq., Kubitschek und Frankfurter, Führer durch Carnuntum 3e ed. pg. 91, fig. 60.

Ectypum ex lapide calcario in similitudinem statuae fabricatum, altum m. 1,12, latum m. 1,10, repertum in caldario thermarum *Deutsch-Altenburg;* extat apud comitem Traun.

Dolichenus pede sinistro cervices tauri genibus nixi premit, cuius pars posterior (data opera sc.) deest. Memento deum lunarem Phrygium ,,Men'' hunc in modum effingi solere, cfr. Franz Cumont, Textes et Monuments figurés relatifs au mystères de Mithra II pg. 220, fig. 50 et figura apud Roscher o. c. s. v. Men col. 2714. Vultum dei insuetae mansuetudinis atque maiestatis longi cincinni et barba crispata includunt. Caput pileo Phrygio alto tectum est, corpus longo chitone manicato succincto et chlamyde. Manu dextra bipennem grandem umero applicatam tenet, sinistra, quae nititur femore sinistro, fulmen.


In basi litteris scariphatis: Di Is.


Arte statua nostra omnium Dolicheni monumentorum facile princeps est.

De templo Dolicheni Carnunti reperto.

Cum v. cl. J. Dell, architectus, periclitandi gratia anno 1891 in agro, qui vocatur ,,Pfaffenbrunnwiese'', apud vicum *Petronell* effossiones institueret, in rudera aedificii incidit, quod arae ceteraque monumenta, quibus instructum erat, iam statim Dolicheno dedicatum fuisse ostendebant. De eo templo et quae monumenta continebat, fusius egit Arch. epigr. Mitth. a. Oesterreich XVI (1893) pg. 176 seqq., et omnes res dignas, quae oculis subicerentur, accuratissime delineavit vel photographia expressit; quas imagines huius libelli modulum lectoribus nostris invidere valde dolemus. Nostrum tamen esse duximus ichnographiam dare ad Dellianam (pg. 177) adumbratam, ut quo loco quidque repertum sit, mensurae formaque ipsius templi probe noscantur.

Lateri α β adiacet aedificium quoddam (cfr. tab. I in fine voluminis XVI ephemeridis supra laudatae addita), quod spelaeum Mithriacum fuisse satis videtur constare; vide Fr. Cumont o. c. II mon. 228*bis*, pg. 501 cfr. I pg. 253 ann. 5. Sed quamdiu rudera nondum penitus explorata sunt neque ullum monumentum vel inscriptio Mithriaca inde prodiit, nihil certi statui potest.





In templo describendo verbis ipsis Dellianis (pg. 178) uti liceat:

„Sie hat die Gestalt eines ziemlich regelmässigen, aus massigen Bruchsteinmauern aufgeführten Vierecks, welches ungefähr nach den Weltgegenden orientirt ist. Die südöstliche Ecke allein zeigt die Verwendung einer Quader im Fundament von ziemlichen Dimensionen:

2,75 m. Länge, 60 c.m. Breite, 33 c.m. Höhe. Die östliche Mauer ist in ihren Fundamenttheilen nach beiden Seiten etwas verbreitert, die Innenwand derselben besitzt eine verkröpfte Vorlage. Eine Öffnung in dieser Mauer bildete zweifelsohne den Eingang des Raumes. Inmitten desselben erhob sich ein rechteckiger Pfeiler, wie die Umfassungsmauer aus Bruchsteinen aufgeführt, in welche hie und da Ziegelbruchstücke eingefügt waren. Die Innenwände trugen Putzresten, die an manchen Stellen noch Spuren von Bemalung aufwiesen. Die Mauern waren durchschnittlich einen Meter hoch erhalten; ungefähr 1,30 m. unter dem jetzigen Terrain lag der alte Fussboden des Raumes, welcher mit 4,5 c.m. starken, 31 c.m. in Quadrat groszen Ziegelplatten gepflastert war. Das Ziegelpflaster lag unmittelbar auf dem natürlichen Boden, ohne Hypocaustum."

Idem pergit pg. 183:

„Der Raum enthielt eine grosze Menge von Bruchsteinresten und eben so zahlreiche Fragmente eines Ziegelmosaikbodens. Schon die mächtigen Dimensionen der Umfassungsmauern und der inmitten stehende Pfeiler deuten auf eine gewölbte Decke über welcher sich ein zweites Geschoss befand, dessen Fussboden jenes Mosaik bildete. Dasselbe bestand aus circa vier Centimeter groszen geschliffenen Ziegelwürfeln, unregelmäszig nebeneinander liegend und mit Mörtel verbunden. Mit dem Einsturze des Gewölbes fiel es wie die andern .... Fundstücke in den untern Raum hinab. Die regelmäszige Lage der Altäre und Postamente erlaubt vielleicht den Schluss, dass ein Erdbeben den Einsturz hervorrief. Auszer den beschriebenen Stücken fanden sich in dem Raume noch eine Menge von gewöhnlichen Scherben, bemalte Putzreste, ferner Theile eines eisernen Kettenpanzers, eine Schere mit federnden Bügel u. a. m."

Monumenta et inscriptiones haec in sacrario reperta sunt; extant hodie Petronellae apud Comitem Traun.

39. Dell, pg. 182 fig. 22, H,(ichnographia).

Statua marmorea e diversis fragmentis composita alta cum basi m. 1,59. Dolichenus barbatus, nudo capite, thoracem indutus, paludamento amictus dextra bipennem gerit, sinistra, quae saxo sustinetur, fulmen, cuius pars superior deest. Gladio, qui a dextro latere e balteo dependet, accinctus est.

40. Dell, pg. 181-182 fig. 19 K,(ichnographia).

Bracchium sinistrum ex aere solido fusum, quod olim ligulis statuae Dolicheni affixum fuisse duo foramina in extremo lacerto com-

probant. Manus fulmen tenet, cuius cuspides tenuibus laminis argenteis neglegenter circumvolutae sunt. Bracchium stricta manica (aere expressa scilicet) tegit, in qua adhuc vestigia argenti cernuntur, ut totum simulacrum argento inductum fuisse facile credas.

41. Dell, pg. 182 fig. 20, E, E_1, F,(ichnographia).

Ectypum ex lapide albo calcario in duas partes fractum (E, E_1) altum m. 1,55, infra latum m. 0,68. In tabula superne leniter fastigata Dolichenum barbatum, ut assolet, portat taurus dextrorsum versus. Animal lato ligamine cinctum exiguae staturae est, si cum deo compares. Ipse divaricatis cruribus sculptus est, dextro protento, sinistro inflexo; thorax, super quem cingulum cernitur, pectus protegit. More solito deus sinistra fulmen gerit, dextra bipennem minatur, quae maximam partem periit. Caput pileo tectum est.

Basis huius tabulae F,(ichnographia) alta m. 0,82, infra lata $\pm$ m. 0,72, ex eodem lapide albo calcario quo ectypum sculpta, a parte aversa impolita mansit, ita ut muro infixam fuisse appareat.

Spatium iuxta dei effigiem in ectypo E, E_1 relictum caeruleo pigmento tinctum fuit, in quod rubris litteris — colores temporis iniquitate paene perierunt, at restant vestigia certa — inscriptio incisa est, quam v. d. Eugenius Bormann, qua est doctrina et sagacitate, una cum reliquis titulis ex sacrario erutis in eodem volumine (XVI) ephem. supra laud. pg. 209 seqq. tractavit:

C. I. L. III Suppl. III 11129, Bormann pg. 213.

I. o. m. | Doliceno | Atilius | Primus | 7 leg. | XIII | G(eminae) | ex evo|cato leg. | X G(eminae) P(iae) F(idelis) | ex viso | pro salute | sua et suorum | v. s. l. l. m. | do Sergia / Marsis mo[1]).

1) „Est „domo Sergia Marsis" i. e. Marruvio, cfr. C. I. L. IX pg. 349." (Hirschfeld).

42. C. I. L. III Suppl. III 11131, Dell pg. 180 fig. 18, pg. 181, Bormann pg. 210 seqq., D,(ichnographia), Kubitschek und Frankfurter, Führer durch Carnuntum 3e ed. pg. 93.

Ara ex lapide albo harenaceo alta m. 0,90, lata m. 0,45.

I. o. m. | Dol. et rel(igioni?)[1]) | pro sa[l(ute)] Aug(usti) | G(aius) Iul(ius) Dion[i]|cus et M. Fol|nius Primu[s] | cur(atores) et Q. Ga|vius Zosimus | [s]crib(a) d(onum) [d(ederunt)]? ex vot(o) | ⁝ / Comm ʻııO·ɾ RELIo co ˁ|///ˁ ˈ(· \ˁˁO· et Crispo[2]).

In inscriptione describenda Bormannum secutus sum. — 1) Kubitschek „REL" pro „HEL(iopolitano)" errore quadratarii incisum esse censet, fortasse recte. Heliopolitanus enim ét una cum Dolicheno (n. 33 cfr. n. 31) ét Carnunti (C. I. L. III Suppl. III 11137, 11138, 11139) colitur. — 2) Versus 10,11 Bormann expedit: „[Imp(eratore)] Commodo A[u]relio co(n)s(ule) | sac(erdotibus) [B]asso et Crispo." (quocum facio, nisi quod ante „sac(erdotibus)" „sub" erasum videtur) et tertium consulatum Commodi indicari putat; lapidem igitur anno 181 p. Chr. n. positum esse. Argumenta lector studiosus, cum exscribere longum sit, in eph. supra laud. pg. 212, 213 adeat.

43. C. I. L. III Suppl. III 11132, Dell pg. 180 fig. 17, pg. 181, Bormann pg. 215, 216, C,(ichnographia).

Ara ex lapide harenaceo alta m. 0,90, lata m. 0.455; in latere dextro urceus, in sinistro aquila in globo stans rostro anulum tenens sculpta sunt.

I. o. m. D. | C. Secun|dius sacer(dos) | v. s. l. l. m.

44. C. I. L. III Suppl. III 11133, Dell pg. 179 fig. 16, pg. 181, Bormann pg. 215, B,(ichnographia).

Ara ex marmore albo (sive lapide calcario) alta m. 0,98, lata m. 0,565.

I. o. m. D. | C. Sollius Optatus et | Soll(ius) Siro fil(ius) | iussu dei | d(onum) d(ederunt) | sub sac(erdote) Antoni[o].

45. C. I. L. III Suppl. III 11134, Dell pg. 184 fig. 21, pg. 182, Bormann pg. 209, 210, G,(ichnographia).

Basis ex lapide calcario alta m. 0,94, lata m. 0,70. Inter lineas scriptum est:

I. o. m. | Dolicheno | pro sal(ute) imp(eratoris) | Caes(aris) M.[1]) Aur. Commo(di) | Aug. G. Spurius | Silvanus 7 leg. X G(eminae) | et Val(eria) Digna | v. s. l. m.

1) Ex praenomine M(arci) Commodo dato hanc basim intra annos 180 et 191 p. Chr. n. oblatam esse apparet.

46. C. I. L. III Suppl. III 11186, Dell pg. 178, 179, fig. 15, 15*a*, Bormann pg. 216, A, A_1,(ichnographia).

Duo fragmenta tabulae marmoreae *a* alta m. 0,315, lata m. 0,30; *b* alta m. 0,315, lata m. 0,47. Litteris pulchris.

a *b*

ABC defg HIKL
MN opqrs TVXYZ
EX VISV

Significatio huius alphabeti adhuc parum constat. Bormann l. l. aut a ludi magistro quodam, aut ea de causa dedicatum esse censet, quod alphabeto omnes litterae continentur, ex quibus verba sacra deoque accepta sed minus bene cognita componi possunt. Kubitschek et Frankfurter o. c. pg. 93 scribunt: ,,Man geht kaum irre wenn man irgend einen mystischen oder prophylaktischen Zweck dieser Weihung zu Grunde legt.'' Sectam aliquam veterum Christianorum alphabeto vim arcanam inesse credidisse Pseudo-Tertullianus testis est, Adversus omnes Haereses, cap. 5: ,,Non defuerunt post hos Marcus quidam et Colarbasus novam haeresim ex Graecorum alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse litteris inveniri, immo totam plenitudinem et perfectionem veritatis in istis litteris esse dispositam.'' cett..

Postea vidi hunc locum etiam a v. d. Albrecht Dieterich laudatum esse in libello ,,A. B. C. Denkmäler'' (Rheinisches Museum für Philologie 56, Heft I, 1901 pg. 100). Ibi de alphabetis tam Graecis quam Latinis, tam ethnicis quam christianis fuse atque subtiliter egit pg. 77 seqq., quibus plerumque vim magicam et averruncam tributam esse conclusit.

Carolus Tragau Vindobonensis, quocum mihi epistularum commercium est, Iovem Dolichenum antiquitus eundem atque deum Babylonium ,,Nebo'' fuisse ratus, qui scribendi arti praesidet, hac de causa alphabetum nostrum oblatum esse monet; recte fortasse.

47. C. I. L. III Suppl. III 11136, Dell pg. 185 fig. 23, pg. 186, Bormann pg. 217.

Tabula ex lapide calcario lata m. 0,465, alta m. 0,45 iuxta sacrarium Dolicheni reperta. Inter lineas scriptum est:

I. o. m. D. Luca(nius) | Attillus | iussu dei | impendi(o) suo | fec(it).

Denique in lucem prodierunt tabula marmorea, Dell pg. 182, 185 fig. 23, I,(ichnographia), in qua inscriptio picta fuisse videtur, et iuxta templum meta molaris fracta cum catillo suo, Dell pg. 183, 184 fig. 23, L,(ichnographia).

---

48. Carnuntum.

C. I. L. III 4401, Seidl 43, Hettner 22.

Ara alta ± m. 0,42, lata ± m. 0,47 Petronellae reperta extat in museo Vindobonensi.


Genium[1]) | I(ovis) o(ptimi) m(aximi) D(olicheni) | sub sacer(dotibus) | Antioco et | Marino[2]).

[1]) J. A. Hild, Dict. des Ant. Vol. II s. v. Genius pg. 1491, *genios* deorum imprimis peregrinorum Romanos vel eo coluisse monet, quo facilius se barbarae religioni accommodarent. — [2]) Supplendum esse ,,dedicant'' (sc. cultores eius) Seidelio videtur.

49. Carnuntum.

C. I. L. III Suppl. 11130.

Tabula fracta reperta anno 1885 *Deutsch-Altenburg* in ruderibus aedificii ad orientem fori siti; iam in museo.



[1]) ,,Sacerdotum nomina casu sexto ibi adfuisse putat Domaszewski.'' (Hirschfeld). Elementum ultimum male descriptum pro I crediderim, ut ,,Mari[no]'' suppleri possit.

50. Carnuntum.

C. I. L. III Suppl. 11135.

Tria fragmenta parastatae ex lapide harenaceo reperta anno 1885 eodem loco quo n. 49; iam in museo.

[I. o. m.] | Dolich(eno) | pro sal(ute) | [imp(eratoris) Caes(aris)] C. | [Iul(ii) Ver(i) M]ax|[imini Pii] F(elicis) | [invic(ti) Au]g(usti) | ...[Ulpi]us | [? A]m[a]ndianus | mil(es) leg(ionis) | XIIII G(eminae) | librari[u]s | numeris | cus(tos) arm(orum) | signif[er] | optio | o[cta]v[a?] | pr(incipis) pr(ioris) | candidatus | numini | cum U[l]pio | Amando | [ve]t(eranus) le[g(ionis)] s(upra) s(criptae) | p[osuit?].

Explevit von Domaszewski. Quocum si consentis, titulum intra annos 235—238 p. Chr. n. incisum esse putandum est.

51. Seidl, Nachtrag 75 et tab. I, Hettner 23.

,,Ectypum calceum altum $20\frac{1}{2}''$ (= ± m. 0,54), latum 15'' (= ± m. 0,395), quod, quamquam est incertae originis, in Hungaria repertum esse constat, cum sit e collectione Nicolai Iankovichii, nunc in museo Pestinensi.'' (Hettner).

Dolichenus super tergum tauri minitabundus dextrorsum incedit. Dextra bipennem intentat, sinistra fulmen tenet. Caput imberbe pileus tegit, pectus thorax, cui paludamentum fluitans superiniectum est. Taurus cingula cinctus dextrorsum graditur faciem paene humanam spectanti obvertens. A dextra parte Victoria, quae dextra palmam gerit, altera manu coronam dei capiti impositura est. A sinistra aquila alis explicatis rostro coronam porrigit.

Rubri coloris vestigia adhuc in ectypo conspicua sunt.

52. E. von Sacken, Die Antiken Bronzen des k. k. Münz- und Antikencabinets, Wien, 1871, pg. 16 et tab. VII, 5, Hettner 24.

,,Statua ahenea, olim auro tincta, alta m. 0,09, quae dicitur in Hungaria reperta esse, nunc Vindobonae in museo.'' (Hettner).

Dolichenus barbatus, loricatus, pileatus in tauro dextrorsum verso stat, sinistra fulmen gerens, dextra elevata, qua tenuit bipennem. Cinctorio portat gladium. Paludamentum post dei tergum dependet.

Noricum.

53. Virunum, (53, 54, 55, 56).

C. I. L. III 4789, Seidl 23, Hettner 26.

Extat Klagenfurti in museo tripertita.

Duobus Silanis I̅ /// | I. o. m. DC||||| | ////////////////// | /// /////////////// | ////////////////// | //////////////////1) | Bellicus Marini fil(ius) s[acerdos] | triclin(ium) omni impend(io) suo IV2) ////// | .

1) ,,Erasum est nomen Commodi. Cum in Silanis duobus consulibus anni 189 iterationis nota locum non habeat, I̅/ quod sequitur superesse videtur ex die.'' (Mommsen). — 2) Hettnerum ,,iu[ssit fieri]'', quamvis dubitanter, supplentem errare persuasum habeo, cum neque spatium in lapide relictum tantum litterarum numerum admittat et plerumque haec verba ordine inverso in inscriptionibus scribi soleant. Lusi: ,,iu[s(sione) sa(cra)].''

Ad inscriptionem nostram titulus C. I. L. III 5066 ƆLIC (extat Klagenfurti in museo) pertinere videtur; est finis versus 2.

54. Virunum.

C. I. L. III 4790.

Herzendorf in aedificio iuxta ecclesiam.

I. o. m. D. | Tib(erius) Cl(audius) | Quintilia nus [et] Rute|nia [S]e[c]ura | pro [se et] suis | v. d. l. m.

Pars dextra latet, in sinistra anaglyphi vestigia conspicua sunt.

55. Virunum.

C. I. L. III 6015, 4, Seidl 47.

Lamina parva.

I. o. D.

56. Virunum.

Jabornegg-Altenfels, Kärntens römische Alterthümer (Klagenfurt 1870) tab. 8, 218, cfr. pg. 118, Hettner 29.

,,Ectypum ex lapide albo calcario longum et altum 1,10' (= ± m. 0,60), insertum fuit muro areis *Trixen*, sitae non procul a *Lambrechtsberg*.'' (Hettner). In cuius montis cacumine sacrarium Dolicheni extructum fuisse inde apparet, quod Jaborneggio teste o. c. pg. 118 ibi rudera antiquissimorum murorum sub solo latent, unde interdum fragmenta columnarum, res ex aere fabricatae, nummi, alia in lucem prodeunt, neque prorsus verisimile est in loco tam angusto tamque edito atque deserto privatum quendam habitasse.

In lapide aedicula sculpta est, cuius fastigium duobus parastatis striatis sustinetur. Caput Solis radiatum sinistrum ectypi angulum, caput Lunae dextrum super utramque parastatam obtinent. In fastigio aquila expansis alis graditur. Inter parastatas aediculae a sinistris Dolichenus barbatus stat in animali dextrorsum verso, quod nisi aliorum monumentorum rationem haberes, taurum esse negares. Adsunt solita insignia vel vestimenta, bipennis, fulmen (?), thorax, paludamentum, pileus. Tauro adversa caprea (?) deam gerit capite velato, quae quid in elevata dextra tenuerit incertum est. Inter capita deorum corona.

57. Inter Ivennam et Celeiam.

C. I. L. III 5103, Hettner 25.

Lapidem anno 1861 *Windischgratz* effossum, in museo Gratzensi, cui illatus esse dicitur, neque Mommsen neque Wilmanns reppererunt.

[I. o.] m. Dol. | [pr]o sal(ute) | ......) MA | ......?

58. Trigisamum.

Von Domaszewski, Die Religion des römischen Heeres, tab. IV fig. 2*a*, 2*f*, 2*c*, cfr. pg. 60 n. 122.

Fragmenta sex pyramidis aheneae asservantur hodie in museo Vindobonensi.

a. Pars adversa pyramidis infra misere mutilata (fig. 2*a* von Domaszewski). Dolichenus barbatus, pileatus, loricatus, dextra securim vibrat vel potius bipennem, cuius altera acies pileo dei ob-

tecta est. Fulminis, qua manus sinistra armata est, pars inferior periit. E lacerto dextro lacinia paludamenti dependet. Crus dextrum dei usque ad genu conservatum est, sinistrum desideratur una cum abdomine adiacenti umbilico tenus. In angulo inferiore sinistro laminae caput dei Dolicheni propinqui, pileo Phrygio tecti, dextrorsum spectantis, sculptum est et bracchium dextrum cum manu hastam(?) tenente. Quem deum protomis duorum taurorum supereminuisse (ut in pyramide Lussoniensi, n. 28*b*) testantur cornu et summum caput tauri *sinistrorsum versi*, quae acrius intuenti in infimo angulo sinistro laminae nostrae conspicua sunt. Neque dubitare licet, quin in angulo inferiore *dextro*, quem hodie amissum dolemus, idem deus tauris insidens effictus fuerit (ut in tabula Lussoniensi n. 28*b*). Probatur enim vel hoc argumento: In uno ex sex fragmentis alteram protomen tauri *sinistrorsum versi* videmus eodem illo modulo, quo vestigia tauri in angulo inferiore sinistro expressa sunt, quibus tamen fragmentum accommodari nequit, cum lineae fracturarum nequaquam congruant. Ad alteram igitur imaginem sed priori (deum supra tauros dico) simillimam, quae in angulo inferiore dextro sculpta fuit, pertinere videtur.

Quae si recte disputata sunt, tertium fragmentum (fig. 2*c*, von Domaszewski) — in quo mulierem vel deam nescio quam cernimus — pro infima parte dextra laminae nostrae n. 58*a* habendum est. Nam quis negaverit pedes priores tauri *dextrorsum versi*, quos in summo fragmento (fig. 2*c*, von Domaszewski) sculptos reperimus, referendos esse ad eam imaginem dei tauris supereminentis, quam in angulo inferiore *dextro* (hodie deperdito) laminae nostrae n. 58*a* expressam fuisse nuper demonstravimus? Duabus igitur laminis (58*a* = fig. 2*a*, von Domaszewski et fig. 2*c*, von Domaszewski) coniunctis colligi potest, quanta fere altitudo pyramidis integrae fuerit, videmusque satis superque spatii superesse tauro, in quo noster (imaginem dico principalem) consistere solet.

Tabella ansata, cuius vestigia adhuc extant in infima parte laminae (fig. 2*c*, von Domaszewski) pyramidem in basi terminasse videtur et inscriptionem incisam exhibuisse.

In lamina n. 58*a* haec etiam animadversione digna sunt: Figura ovata, duabus lineis altera alteram decussantibus quadrifariam divisa, quam deum tauris insidentem, de quo supra disputavimus, manu sinistra porrexisse probabile est. Praeterea inter laciniam a bracchio Dolicheni dependentem (vide supra) et latus sinistrum laminae tres figurae conspiciuntur, quas cum lauri foliis comparaverim. Restat ut aquilam commemorem summum laminae loculum tenentem.

b. Nec altera lamina pyramidis (fig. 2*b*, von Domaszewski) annorum tulit seriem et superior tantum pars superest linea transversa in duos loculos divisa. Quorum superior protomen Lunae continet inter cornua lunae subiectae fictam. In inferiore Mars imberbis galea cristata tectus dextrorsum spectat. Corpus dei nudum pube tenus conservatum est. Dextra hasta nititur, sinistra in clipei margine posita est. Circum corpus amiculum fluitare videtur. In infima parte dextra laminae ara ardet.

Duo fragmenta reliqua non digna sunt, quae singulatim describantur. Pyramis nostra elegantiore manu quam pleraque Dolicheni donaria confecta est.

Raetia.

59. *Pfünz*, (59, 60, 61.)

C. I. L. III Suppl. III 111926.

Tabella aënea litteris punctim scriptis reperta iuxta castra — sc. cohortis I Breucorum, cfr. C. I. L. III Suppl. III pg. 1857 — „in den Grundmauern eines kleinen gegen Osten offenen Tempelraums, etwa 40 Meter südöstlich der porta decumana."


I. o. m. | Doloceni[1]) | Demittius | sacerdos | d. d.

[1]) Utrum „Doloceni(o)" supplendum (cfr. n. 132) an dativus sit formae „Dolocenis", incertum.

60. *Pfünz.*

C. I. L. III Suppl. III 11927.

Tabella aënea litteris punctim scriptis reperta una cum praecedenti.



[1]) „In margine F potius est visa Christio; T E litteris nomina eius, qui dedicavit, significari censet Mommsen." (Hirschfeld). Cum forma litterae sinistrae T parum distincte exarata videatur, in mentem venit I olim scriptum fuisse et legendum esse „I(ussu) E(sculapii)", cfr. n. 19 et pg. 25. „Esculapius" pro „Aesculapius" C. I. L. VI 1 et XIV 2846 invenitur. — [2]) „Ante VR vestigium litterae T superesse videtur." (Hirschfeld).

61. *Pfünz.*

C. I. L. III Suppl. III 11928.

tecta est. Fulminis, qua manus sinistra armata est, pars inferior periit. E lacerto dextro lacinia paludamenti dependet. Crus dextrum dei usque ad genu conservatum est, sinistrum desideratur una cum abdomine adiacenti umbilico tenus. In angulo inferiore sinistro laminae caput dei Dolicheni propinqui, pileo Phrygio tecti, dextrorsum spectantis, sculptum est et bracchium dextrum cum manu hastam(?) tenente. Quem deum protomis duorum taurorum supereminuisse (ut in pyramide Lussoniensi, n. 28*b*) testantur cornu et summum caput tauri *sinistrorsum versi*, quae acrius intuenti in infimo angulo sinistro laminae nostrae conspicua sunt. Neque dubitare licet, quin in angulo inferiore *dextro*, quem hodie amissum dolemus, idem deus tauris insidens effictus fuerit (ut in tabula Lussoniensi n. 28*b*). Probatur enim vel hoc argumento: In uno ex sex fragmentis alteram protomen tauri *sinistrorsum versi* videmus eodem illo modulo, quo vestigia tauri in angulo inferiore sinistro expressa sunt, quibus tamen fragmentum accommodari nequit, cum lineae fracturarum nequaquam congruant. Ad alteram igitur imaginem sed priori (deum supra tauros dico) simillimam, quae in angulo inferiore dextro sculpta fuit, pertinere videtur.

Quae si recte disputata sunt, tertium fragmentum (fig. 2*c*, von Domaszewski) — in quo mulierem vel deam nescio quam cernimus — pro infima parte dextra laminae nostrae n. 58*a* habendum est. Nam quis negaverit pedes priores tauri *dextrorsum versi*, quos in summo fragmento (fig. 2*c*, von Domaszewski) sculptos reperimus, referendos esse ad eam imaginem dei tauris supereminentis, quam in angulo inferiore *dextro* (hodie deperdito) laminae nostrae n. 58*a* expressam fuisse nuper demonstravimus? Duabus igitur laminis (58*a* = fig. 2*a*, von Domaszewski et fig. 2*c*, von Domaszewski) coniunctis colligi potest, quanta fere altitudo pyramidis integrae fuerit, videmusque satis superque spatii superesse tauro, in quo noster (imaginem dico principalem) consistere solet.

Tabella ansata, cuius vestigia adhuc extant in infima parte laminae (fig. 2*c*, von Domaszewski) pyramidem in basi terminasse videtur et inscriptionem incisam exhibuisse.

In lamina n. 58*a* haec etiam animadversione digna sunt: Figura ovata, duabus lineis altera alteram decussantibus quadrifariam divisa, quam deum tauris insidentem, de quo supra disputavimus, manu sinistra porrexisse probabile est. Praeterea inter laciniam a bracchio Dolicheni dependentem (vide supra) et latus sinistrum laminae tres figurae conspiciuntur, quas cum lauri foliis comparaverim. Restat ut aquilam commemorem summum laminae loculum tenentem.

b. Nec altera lamina pyramidis (fig. 2*b*, von Domaszewski) annorum tulit seriem et superior tantum pars superest linea transversa in duos loculos divisa. Quorum superior protomen Lunae continet inter cornua lunae subiectae fictam. In inferiore Mars imberbis galea cristata tectus dextrorsum spectat. Corpus dei nudum pube tenus conservatum est. Dextra hasta nititur, sinistra in clipei margine posita est. Circum corpus amiculum fluitare videtur. In infima parte dextra laminae ara ardet.

Duo fragmenta reliqua non digna sunt, quae singulatim describantur. Pyramis nostra elegantiore manu quam pleraque Dolicheni donaria confecta est.

Raetia.

59. *Pfünz*, (59, 60, 61.)

C. I. L. III Suppl. III 111926.

Tabella aënea litteris punctim scriptis reperta iuxta castra — sc. cohortis I Breucorum, cfr. C. I. L. III Suppl. III pg. 1857 — ,,in den Grundmauern eines kleinen gegen Osten offenen Tempelraums, etwa 40 Meter südöstlich der porta decumana.''


I. o. m. | Doloceni[1]) | Demittius | sacerdos | d. d.

1) Utrum ,,Doloceni(o)'' supplendum (cfr. n. 132) an dativus sit formae ,,Dolocenis'', incertum.

60. *Pfünz.*

C. I. L. III Suppl. III 11927.

Tabella aënea litteris punctim scriptis reperta una cum praecedenti.



1) ,,In margine F potius est visa Christio; T E litteris nomina eius, qui dedicavit, significari censet Mommsen.'' (Hirschfeld). Cum forma litterae sinistrae T parum distincte exarata videatur, in mentem venit I olim scriptum fuisse et legendum esse ,,I(ussu) E(sculapii)'', cfr. n. 19 et pg. 25. ,,Esculapius'' pro ,,Aesculapius'' C. I. L. VI 1 et XIV 2846 invenitur. — 2) ,,Ante VR vestigium litterae T superesse videtur.'' (Hirschfeld).

61. *Pfünz.*

C. I. L. III Suppl. III 11928.

Tabella aënea reperta cum praecedentibus.



,,v. 2 ex. ‹ et v. 3 7 ornamenta sunt." (Hirschfeld).

62. Inter Reginum et Boiodurum.

C. I. L. III 5973 cfr. Suppl. III 11976, Seidl 11, Hettner 28.

Straubing im Osterfeld inter ecclesias S. Petri et Nicolai reperta anno 1812, deinde ibi in curia, mox in novum pontem Danuvianum absumpta.

a. Ab una parte:

[Iovi o. m.] | [Do]lichen(o) | [pr]o salute | [im]p(eratoris) | n(ostri) vet(erani) | [coh.] I Ca[n]a(thenorum)[1]).

b. Ab altera parte:

III Idus Apr[i] | les Laelia|no co(n)s(ule) qui|bus pra[e] e[st] | . . . . . .

[1]) Dedi lectionem, quam proposuit Ohlenschlager, cfr. C. I. L. III Suppl. III 11976. Hettnero, qui primus solito acumine, quid sibi vellet titulus, perspexit pg. 13 ,,c(ohors) I F(lavia) Cana(thenorum)" placet, quod tamen minus in lapidem quadrat. Est anni 163.

63. *Aalen* (Aquileja ?)*).

Haug und Sixt, Die römischen Inschriften und Bildwerke Württembergs I pg. 43 seqq., n. 57, fig. 23.

Fragmentum tabellae aëneae, auro tinctum, in forma pyramidis nunc altum m. 0,21, latum m. 0.20, repertum anno 1895 in hypogaeo sub sacello castelli, possidet ,,Reichslimeskommission."

In media lamina arbor ficta est, cum foliis pomisque, cuius a sinistra parte stat Dolichenus loricatus (caput cum manu dextra periit) in tauro dextrorsum verso. Sinistra tenet fulmen, vagina gladii post tergum a sinistris conspicua est, pedes calceis tecti esse videntur. Tauro obversa a dextra parte arboris vacca sculpta est et in tergo eius crura inferiora deae cernuntur, quae una cum Dolicheno coli solet. Reliquum corpus periit. In eadem parte tabulae (sc. a dextra arboris) infra vaccam Minervam galeatam vides, succinctam, aegide cum Gorgoneo pectus firmatam. Dextra elevata nititur hasta, sinistra clipeo imposita est. Iuxta Minervam a dextris deum duobus tauris

*) Hunc locum potius ad Germaniam Superiorem quam ad Raetiam pertinuisse temporibus certe, quibus noster colebatur, sero vidi ex C. I. L. III Suppl. III pg. 1851.

insidentem, quem iam antea in pyramidibus Dolicheno consecratis (n. 28, 58) offendimus, caelatum fuisse probabile est, sed restat dimidia tantum pars sinistra figurae. Deus imberbis dextra tres palmas gerit. Ab altera parte Minervae clavi foramen terebratum est.

Imaginum, quibus inferior pars sinistra laminae ornata fuerat, nihil nisi caput galeatum (Martis, ut videtur, cfr. n. 58) aetatem tulit.

Roma.

Cum iam ad inscriptiones monumentaque urbana pervenimus, e re esse arbitror pauca praefari de templis, in quibus noster Romae colebatur, in montibus Aventino et Esquilino sitis. Quae de templo Esquilino innotuerunt haec sunt:

Aetate pontificis maximi Clementis XII haud procul ab ecclesia S. Eusebii — locus fere fuisse videtur, ubi hodie latus inter orientem et meridiem spectans areae, quae vocatur ,,Piazza Vittorio Emanuele", porticu terminatur, cfr. Ficoronii descriptio sub n. 64 — rudera magni cuiusdam aedificii detecta sunt. Muro insertae fuerunt inscriptiones duae n. 64*a* et *b*. (Ficoroni, Labico pg. 22), quae, quantum ex rebus in iis memoratis effici potest, in situ repertae sunt. Nymphaei e. g. in iis mentio fit estque nymphaeum teste Ficoronio in vicinia effossum.

Multis annis post (1874), cum murus inter ecclesiam S. Eusebii et viam ad portam S. Laurentii ducentem destructus est, quattuor alia monumenta Dolicheno oblata (nn. 65, 66, 67, 68) in lucem protracta sunt, cfr. C. L. Visconti, Bull(ettino della Comm. arch.) mun(icipale) 1875 pg. 204 seqq. tab. XXI, nec quisquam dubitare potest, quin ad idem templum referenda sint. Sic etiam n. 69 in horto coenobii S. Eusebii effossa procul dubio templo Esquilino debetur. Tum Stevenson inscriptionem n. 70 foras dedit, quam, si quid video, a viro doctissimo recte expletam (collata n. 64), nomine ,,M. Caecilii Rufi" (v. 5) et ,,Marini" (v. 8) eidem loco ac n. 64 tribuendam esse probatur. Ara n. 71 autem testimonio esset ,,Thy-" in versu 9 tituli superioris (n. 70) primas litteras nominis ,,Thy[rso]" (sic Stevenson) esse (quod alibi in titulis nostris non reperitur), atque invicem, quamquam procul inventa est, Esquilino vindicaretur, nisi spatium quinquaginta fere annorum, quod inter utrumque lapidem dedicatum intercedere videtur, quominus Thyrsum tituli superioris n. 70 aram n. 71 donavisse, putaremus, prohiberet. Fortasse de patre et filio cogitandum est.

Sed alia de causa hanc aram una cum basi n. 72, quae per eundem C. Fabium Germanum Dolicheno oblata est, potius titulis Esquilinis quam Aventinensibus, quibus Henzen (in C. I. L. VI) et Hettner,

inseruerim. Sunt enim praeter Iovem Dolichenum ,,Iunoni sanctae Herae, Castoribus et Apollini conservatoribus'' (n. 71) et ,,Soli digno prestantissimo'' (n. 72) dicatae. Eorundem autem deorum monumenta ex altera parte eiusdem muri prope S. Eusebium protracta sunt, cui Dolicheni donaria nn. 65, 66, 67, 68 accepta debemus, multique praeterea alii lapides, maximam partem Iovi, nonnulli deo Thracico ,,Heroni'' vel cuilibet numini barbaro consecrati, qui fere omnes — tribus exceptis — a praetorianis barbarae originis intra annos ± 200 et 266 p. Chr. n. dati sunt *). Notissimum est ab imperatore Septimio Severo primo magnum numerum provincialium in cohortes praetorias receptum esse. ,,Quod ut constat eum eo consilio fuisse, ut tutela Italiae externis militibus et maxime Illyricianis committeretur, ita non errabit, opinor, qui item milites in Italia degentes, ne vitae urbanae religionibusque adsuescerent, curam eum egisse credat, ut in ipsa urbe patria quisque numina colere pergerent.'' (Mommsen C. I. L. VI pg. 720). Quae cum ita sint, non est cur imperatorem τέμενος templi Dolicheni, cuius dei cultus his isdem temporibus maxime floruisse videtur idque imperatore probante (cfr. pg. 18), quod praesertim nuperrime (n. 64) in maiorem splendorem atque amplitudinem auctum esset, praetorianis assignasse mireris, ubi aras et aediculas diis patriis consecrarent. In ipso templo Dolicheni praetorianorum donaria posita fuisse ea de causa (in qua iam Hettner haesit pg. 18) affirmare nolim, quod cuncta non prorsus eodem loco ac monumenta Dolicheni reperta esse compertum habemus. Ceterum aediculam Iovis *prope* triclinium Dolicheni collocatam fuisse lapis n. 73 testatur, quem haud ita procul effossum Esquilino iure tribuas.

G. B. de Rossi, Ann(ali) dell' Inst(ituto) 1858 pg. 281 seqq., tem-

*) Omnia haec monumenta foras dedit W. Henzen, Bull. mun. 1875 pg. 83 seqq.. Idem et C. L. Visconti iterum de quibusdam ex iis egerunt, Bull. mun. 1876 pg. 61 seqq. tabulis lithographis V, VI, VII, VIII additis. Sol vel Invictus in duabus inscriptionibus nominatur, Bull. mun. 1875 n. 22 = C. I. L. VI 2821 et n. 23 = C. I. L. VI 2822. „Dehe sancte Iunoni" et „[De]o saeno Iunoni" (sic!) duo tituli positi sunt, Bull. mun. 1875 n. 11 = C. I. L. VI 2808 et n. 12 = C. I. L. VI 2809, quattuor Apollini, Bull. mun. 1875 n. 1 = C. I. L. VI 2797, n. 2 = C. I. L. VI 2798, n. 23 = C. I. L. VI 2822, n. 33? = C. I. L. VI 2832. Castorum nullum monumentum repertum esse confiteor, at fortasse sub „Dis inmortalibus", Bull. mun. 1875 n. 21 = C. I. L. VI 2820 vel „Diis patriensibus" n. 22 = C. I. L. VI 2821 latent. Ex quibus lapidibus deorum supra memoratorum imaginibus ornatos invenias, Bull. mun. 1876 tab. V, VI, 7 (Juno) et 8 (Sol), tab. VII, VIII, 5 (Apollo). Apollo denique in lapide ibidem effosso sculptus est, Bull. mun. 1876 tab. V, VI, 4 et in ara una cum Dolicheni monumentis nn. 65, 66, 67, 68 reperta, Bull. mun. 1875 tab. XXI.

plum nostrum partem fuisse stationis cohortis vigilum II contendit probaturque eius sententia plurimis viris doctis. Fieri quidem potest, ut vir summus recte iudicaverit, res tamen, quod quidem videam, admodum incerta est. Quibus enim nititur argumentis, hoc tantum ostenditur olim in Esquilino stationem cohortis II vigilum fuisse. Verba enim Pyrrhi Ligorii, ,,Oltre all' antica fabrica del castello ornato di trofei di marino'' cett. ,,e confinava coll' acquedotto situato tra esso e la via Prenestina'', quae de Rossi affert pg. 283, quibus locus indicatur, ubi lapides, manifesto falsi, a vigilibus oblati, (C. I. L. VI, 5, 746* et 760*) inventi esse dicuntur, nihil ad rem faciunt. Nam primum locus ille non prorsus quadrat in rudera aedificii, quod Dolicheni templum fuisse supra pg. 59 vidimus; deinde nullo titulo genuino revera ibi stationem cohortis II vigilum fuisse demonstratur. Accedit, quod Henzeno auctore (C. I. L. VI pg. LIII) Ligorius in rebus topographicis non maiore fide dignus est quam in epigraphicis. At duos titulos habemus, unum a milite coh. II vigilum positum C. I. L. VI 2962*a*, alterum a tota cohorte imperatori Caracallae oblatum C. I. L. VI 1059, *) qui apud nymphaeum, vulgo templum Minervae Medicae appellatum, reperti sunt. Itaque in ea parte potius Esquilini orientali stationem sitam fuisse arbitror, cuius sententiae etiam aliqua ex parte Jordanum auctorem habeo in rebus topographicis minime contemnendum, quamquam ut in re nondum satis explorata fueritne statio iuxta ecclesiam S. Eusebii an S. Bibianae, prope templum Minervae Medicae, ambigit (Topographie der stadt Rom im Alterthum I, 1 pg. 308, 309 ann. 11). Idem vir doctus hortos Pallantianos, qui in ,,Curioso urbis regionum XIV'' stationem coh. II vigilum sequuntur, certe prope portam S. Laurentii sitos fuisse perhibet (Topographie II pg. 128). Hoc quoque stationem illam non procul a templo Minervae Medicae quaerendam esse argumento est.

Quoniam denique in titulo n. 64*b* tetrastylum, nymphaeum cett. adsistente tribuno quodam coh. II vigilum dedicata esse traditur, nequaquam haec tot aedificia, sacrarium, tetrastylum, nymphaeum (n. 64), scholam (n. 70), triclinium (n. 73) — in area stationis coh. II vigilum extructa fuisse necesse est, cum praesertim vigiles in nullo amplius lapide templi Esquilini (excepto fortasse n. 70) memorentur et multa donaria a *praetorianis* in loco templo adiacenti posita esse supra demonstrare conati simus.

Quae templi Aventinensis supersunt R. Lanziani hunc in modum

*) Origo reliquarum inscriptionum (C. I. L. VI 2962 seqq.), in quibus coh. II vigilum nominatur, incerta est.

describit, Bull(ettino della Comm. arch.) com(unale di Roma) 1893 pg. 5 seqq.:

,,Vi sono apparse vestigia di una fabbrica di uso publico costruita con blocchi di tufa giallo, che riposano sull' argilla vergine a m. 4,75 sotto il piano moderno. Uno dei muri parallelo all' asse di s. Alessio, cioè perpendicolare alla strada è lungo m. 18,73 ed è traversato ad angolo retto da un secondo muro. Nel punto d'intersezione dei due è piantata (sopra cuscino di travertino) una colonna di pietra intonacata, che fa parte di un portico. Ma non è stato possibile riconoscere la natura precisa del monumento che sembra appartenere agli ultimi anni della repubblica. Ho esaminato le pareti della chiesa e dell' atrio che la precede, sperando di trovare tracce di costruzione antica, ma i restauri del card. Angelo Maria Quirini e quelli dei monaci girolamini conpiuti pel giubileo del 1750, le hanno cancellate: depulsa omni labe vetustatis (coenobium et templum) restituerunt! Supplisce al difetto la descrizione esatta del vecchio presso l'abate Nerini. Egli dice che la fiancata verso s. Sabina era murata a ricorsi di mattoni e di tofi del tempo di Adriano I e di Leone III, l'altra verso il cenobio ,,opere lateritio adhuc constat usque ad altitudinem palmorum 37 (m. 8,25) lateribus inter se ita cohaerentibus, ut inter superiorem et inferiorem laterem vix calcis vestigium sub una simplici linea appareat . . . . . Quam ob rem conjicimus parietinas ibi esse pervetustae alicuius aedis.'' Piu importante è quest' altra notizia: ,,prope sacellum nobilium di Sabellis (il primo a sinistra entrando nella chiesa) substructiones adhuc extant ex ingentibus lapidibus Gabinis et Albanis, quos peperino vocitant, quosque rei publicae romanae tempore in usu fuisse nullus ignorat.'' (Nerini, De templo et coenobio s. Bonif. et Alex. tav. III pg. 62 sg.). Si vede dunque che la fabbrica piu vetusta a blocchi di pietra si estende dallo scave attuale sino al di là della chiesa di s. Alessio: e che essa è stata restaurata sotto l'impero con muraglie di cortina perfettissima. Le memorie epigrafiche scoperte in vari tempi in questo luogo e raccolte nel volume VI del C. I. L. sotto i num. 406-413 *) si referiscono tutte ad un solo edificio al Dolocenum (sic), o alla aedes Iovis Dolicheni della regione XIII. Talune furono viste scavare dal Nerini in occasione dei ristauri predetti il giorno 25 settembre del 1780 (n. 409): altre tornarono in luce l'anno 1868, quando si fortificava il monte (n. 406), altri sono state descritte in aede divi Alexii o ,,iuxta aedem sanctae Sabinae'' fino dal

*) nn. 412 et 413 = nn. 71 et 72 nostrae collectionis ad Esquilinum potius referendas esse probare studui neque sunt in Aventino repertae.

primo rinnovamento degli studi epigrafici (n. 410, 411). Importante fra tutte è l'ara marmorea dedicata al nume eliopolitano (sic) da T. Flavio Cosmo ufficiale potente della casa di M. Aurelio e Lucio Vero, lacui ricca residenza urbana stava in questo stesso giardino di s. Sabina, a confine, o a breve intervallo dal Dolocenum (Descemet, Mémoire sur les fouilles exécutées à Santa Sabina, Paris 1863 pg. 33 sg., Lanciani, acque p. 273 n. 173). Il Doloceno non era un tempio nel senso e designato nelle iscrizione con la formula locus hic. Comprendeva oltre il sacrario del nume, scholae, sale di riunione e di spettacolo *), portici ecc. (cf. n. 406). ,,Son temple'' scrive il ch. Duchesne, ,,dont les constructions sont moins connues que l'emplacement, devait être un édifice assez somptueux. Les inscriptions prouvent en tout cas, qu'il avait une desservance nombreuse et compliquée. Il existait encore au milieu du quatrième siècle.'' (Duchesne, Notes sur la Topogr. rom. au moyen âge = Mélanges de l'école de Rome 1890, pg. 225). Tutti questi particolari convengono all' edificio scoperto sotto e attorno s. Alessio: osta soltanto la cronologia dei ruderi di opera quadrata che non possono attribuirsi ad epoca posteriore ad Augusto mentre il culto del Baal romanizzato è importazione piu tarda, posteriore cioè all' apertura del porto ostiense di Claudio (Preller, Regionen pg. 202).

Puo darsi che gli iniziati abbiano acquistate l'area di un edificio andato in rovina, quale p. e. l'Armilustrio (da cui ha preso nome a strada di s. Sabina, Fauno, antichità, pg. 78, Nardini VII, 8, C. I. L. VI 802) e che l'abbiano ricostruito a modo loro con muri a cortina simili a quello, che forma o formava il fianco sinistro della chiesa di s. Alessio. Anche negli scavi del Lazzaretto sono stati ritrovati pezzi di muri laterizi fondati su quelli di tufa (in un pezzo di arco a grossi mattoni si leggono in opera piu copie del bollo C. I. L. XV 1 n. 1214). Mi pare dunque che *il ritrovamento del Dolocenum dei cataloghi possa credersi accertato* e che abbia ragione il lodato Duchesne di scrivere ,,pendant que les fidèles contemporains de saint-Augustin se pressaient entre les colonnades (di s. Sabina eretta l'anno 425 da Pietro sacerdote illirico) le Dolichenum à deux pas de là voyait s'éteindre ses splendeurs. Il devait être bien désert, bien envahi par la brousse, quand les Byzantins au 6e ou 7e siècle vinrent installer dans ses ruïnes une chapelle en l'honneur de saint-Boniface l. c. pg. 226.''

Quibus verbis pauca habeo, quae addam.

*) Lanzianium hic lapides Esquilinos cum Aventinensibus confudisse suspicor, cum in his neque scholae neque conventiculorum usquam mentio sit.

Praeter inscriptiones etiam ex ,,Curioso urbis regionum XIV" et ,,Notitia regionum urbis XIV" in Aventino aedem Dolicheni fuisse apparet, cum in utroque legamus (Jordan Topographie II pg. 561, 562): Regio XIII Aventinus continet . . . . . Dolocenum" i. e. templum Doloceni, ut Preller perspexit (die Regionen der Stadt Rom pg. 282) exemplis ut ,,Ceres, Vesta" pro ,,templum Cereris, Vestae" allatis *). Marini primus ,,Dolocenum" e ,,Dolocenium" vel ,,Doloceneum" corruptum esse coniciens (Atti e monumenti de' Fratelli Arvali pg. 538) de deo nostro cogitavit; qui ante eum fuerunt viri docti ,,Dolocenum — quod sane et ,,Doliolum" scriptum invenitur, cfr. Seidl o. c. pg. 25 ann. 2 — pro eo colle plerumque habuerunt, cui hodie nomen ,,Monte Testaccio" est. Errori quamvis manifesto denuo patrocinatur Lugari, Bull. com. 1893 pg. 223 seqq. cuius tamen argumenta, cum mihi pondere carere videantur, omnia exscribere supersedi. Numquam in Aventino sacrarium Dolicheni situm fuisse omnesque lapides, ibi repertos, templo Esquilino tribuendos esse perhibet idque hac potissimum ratiocinatione fretus: E litteris signo Pontificis Romani Honorii III impressis (Bul) anni 1217 patet monachos coenobii S. Alexii — ubi plerique tituli Aventinenses effossi sunt — praedia ,,*apud castrum infra urbem*" tenuisse. Castrum illud atque castra equitum singularium, quorum vestigia prope S. Giovanni in Laterano in lucem prolata sunt, unum et eundem locum esse Lugari probare studet, neque tamen mihi persuasit. Sed fac eum hac in re recte vidisse, quis, qui vel leviter topographiam urbanam attigerit, ei haec asseveranti credat? pg. 230 ,,e questi ,,castra" erano . . . . . presso il luogo ove il Ficoroni trovo incastrate al muro le lapide spettanti al Dolicheno — nostrae collectionis n. 64, *a*, *b* — e dove la maggior parte de' marmi sacri a quel nume furono rinvenuti", cum inter utrumque locum spatium non minus m. 600 vel 700 intersit. Etiamsi igitur monachi (quamquam ne id quidem probari potest) lapides aliquos ex praediis ,,apud castrum infra urbem" sitis in coenobium suum Aventinense transportassent, quod Lugari conicit, eos ad rudera a Ficoronio descripta pertinere vix censendum esset. Dolichenus quidem in duobus titulis in castris equitum singularium erutis memoratur, sed inde lapides Aventinenses protractos esse etiam atque etiam nego, cum ibi magni sacrarii, quale in titulis Aventinensibus nn. 75, 76 memoratur ne minimum quidem vestigium relictum sit; ut iam disquisitionem omittam an ,,castrum infra urbem" pro castris equitum singularium habendum sit.

---

*) Cfr. etiam Cicero, pro Milone 31, 86 ,,ante ipsam, inquam, Bonam Deam, cum proelium commisisset."

Offendit etiam Lugari pg. 232 in forma vocis ,,Dolocenum", quam in descriptionibus regionum (vide supra) invenimus, ,,*Dolicheneum*" solam iustam esse ratus. Tu autem vide sententiam Prelleri de nomine dei pro templo eius posito, quam supra citavimus. Denique ,,Dolichenus" etiam ,,Dolocenus" scribitur n. 36, cfr. n. 59; Dolocheno lapis, in ipso Aventino effossus, oblatus est (n. 80).

Monumenta in Esquilino reperta, quaeque huic monti tribuenda esse videntur,

(64, 65, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 73, 74).

64. C. I. L. VI 414, Seidl 46, Hettner 74*a* et *b*, Wilmanns 91. Duae tabulae marmoreae, repertae anno 1734, non longe a trivio, quod est ad S. Eusebium inter viam quae inde ad portam maiorem et quae ad S. Crucem in Hierusaleme ducit ,,dopo alquanto spazio di terreno sodo principio un' isola di orti ricinti di mura, dove nel pontificato di Clemente XII scavandovisi, gli operarii discoprirono . . . . . un avanzo di vasto edifizio, dove erano incastrate due tavole di marmo scritte." (Ficoroni, Labico pg. 22). Extant in museo Capitolino.

a. I. o. D. | pro salute | imp. L. Septimi Severi Pii Pertinacis [1]) Aug. | Pii Felicis et exercit(u)um | et p(opuli) R(omani) D(ecimus) Iun(ius) Pacatus cum | Alexandro fil(io) sacrar(i)um | iussu I(ovis) D(olicheni) sua pec(unia) adampliavit c(uram) a(gente) Caecilio | Rufo 7 sacerdotib(us) Sopatrus et Marin(us) et Calus ꓘ [2]).

b. Item auxit | [s]alvo imp. [3]) ////////////////////////////// Pio Fel. Aug. n(ostro) | M. Caecilius M. f(ilius) Iul(ia) Rufus Concord(ia) | 7 leg. III Cyrenaicae ex corniculario | Aeli Iuliani pr(aefecti) vig(ilum) tetrastylum nymphaeum | crateram cum columella et altarium cum columella | marmorea et aliam columellam item orbiculum cum colu|mella et cetera ornavit I(ovi) D(olicheno) d(onum) d(edit). Dedicavit per | Clodium Catullum pr(aefectum) vig(ilum) adsistente Orbio Laetiano subpr(aefecto) et | Castricio Honorato trib(uno) coh(ortis) II vig(ilum) pr(idie) Kal(endas) Aug(ustas) | Aproniano et Bradua cos. c(uram) a(gente) Herculanio Liberale va[l(etudinario)].

[1]) ,,Verba ,,Septimii Severi Pii Pertinacis" in litura reposita sunt." (Henzen). — [2]) Quid sibi velit compendium ꓘ, nescio; Henzen solvit

,,filio", Hettner ,,fratres." — 3) ,,post imp. Ficoronius exhibet ,,L. Sep. Severo Per." sed scalpro recenti ea deberi asserit Kellermann; hodie insertum est frustulum marmoris habens verba ,,M. Aur. Commodi Ant." Eorum loco prius fuisse nomina Commodi Augusti ostendunt nomina consulum a. 191; eidem autem Augusto, non Septimio Severo, ut statuit Kellermann, etiam titulum *a* dedicatum fuisse cum demonstratur eo, quod *a* titulum titulo *b* continuari apparet et in utroque idem Caecilius Rufus curam agit, tum cognominibus ,,Pii Felicis" quae nusquam Septimio Severo attribuuntur. Videntur vero pro eraso nomine Commodi post aliquot demum annos [post annum 195, cfr. R. Cagnat, Cours d'Epigraphie Latine 3e ed. pg. 195] reposita esse cum Severus non ante cognomine Pii usus sit." (Henzen).

65. C. I. L. VI 3698, C. L. Visconti, Bull. mun. 1875 pg. 208 et tab. XXI, 1, Hettner 75.

Ubi inventa sint monumenta nn. 65, 66, 67, 68 supra pg. 59 exposui. Extant hodie in museo Capitolino in repositis.

,,Supra aram marmoream, cui inscriptio incisa est, stat in tauro dextrorsum verso deus usque ad umbilicum servatus. Monumentum nunc altum est 0,41 m." (Hettner).

Iovi Dolicheno | T. Aelius Hilarus | T. Aeli Hermogenis | lib(ertus) d(onum) d(edit).

66. C. L. Visconti, Bull. mun. 1875 pg. 208 seqq. et tab. XXI, 2, Hettner 76.

Statua marmorea, alta nunc m. 0,56.

Dolichenus barbatus, pileatus, loricatus genibus tenus conservatus est. Bipennis, quam dextra elevata vibrasse videtur, una cum manu periit, item sinistra, quae sine dubio fulmen tenuit. Cingulo thorax dividitur. A dei latere sinistro gladius balteo suspensus est. Columella usque ab umeris incipiens deum fulcit, quae quidem eius crassitudinis est, ut statuam integram (id quod Visconti vidit pg. 209, 210) satis altam fuisse necessario concludas neque in ambiguo sit, quin et hoc in monumento Dolichenus tauro suo institerit.

67. C. I. L. VI 3699, C. L. Visconti, Bull. mun. pg. 210 seqq. et tab. XXI 3, Hettner 77.

Monumentum marmoreum altum m. 0,55.

Basis rotunda marmorea, in qua positum est caput cervi ornatum cornibus altis et ramosis, interque ea discus lunaris, cui insidet aquila alis explicatis; caput avis desideratur.

In antica basis litteris ex parte detritis:

Iovi Dolichen[o] | C. Iulius Marinus[1]) | miles classis | praet(oriae) Misenensis | IIII Kal. I . . . .

1) C. Iulius Marinus vix idem est ac centurio eiusdem nominis qui manum votivam n. 141 Dolicheno dedicavit. Memoriae C. Iulii Marini n(atione) *Syri*, in classe Misenensi nauphylacis vel nauarchi, lapis sepulcralis C. I. L. X 3450 inscriptus est.

68. C. L. Visconti, Bull. mun. 1875 pg. 213, 214 et tab. XXI, 4, Hettner 78.


Monumentum marmoreum longum m. 0,48.

Caput tauri aut vituli pone in formam quadratam desinens, quod muro insertum fuisse probabile est; cfr. eiusdem generis monumentum Ostiae in Mithraeo repertum, Fr. Cumont o. c. II mon. 83*l*, pg. 243: ,,Une tête de lion de marbre destinée évidemment à être encastrée dans un mur, car au delà du cou le marbre se continuait en forme de cube à peine dégrossi."


69. Eph. ep. IV 742.

Fragmentum tabulae marmoreae effossum in horto conventus S. Eusebii. Nunc servatur in Capitolio in tabulario.

a. in adversa.



b. in aversa litteris minus accuratis.



a. Vv. 1, 7, 8 scalpro erasi. — 1) Cognomine Gaii miles quoque praetorianus utitur Doliche oriundus, Eph. ep. IV 894 c. 28.

b. ,,Vv. 6, 7 supplevit Mommsen, potest fuisse etiam ,,pro salute."" (Henzen).

Saeculi alterius exeuntis esse vel tertii ineuntis patet.

70. Bull(ettino) dell' Inst(ituto) 1884 pg. 34, 35.

Ubi repertum sit fragmentum, non indicatur; iam in museo Instituti

Archaeologici Germanici. Foras dedit Stevenson et supplevit Henzeno probante.

I. O. D.
Salvo ////////// | imp. L. Aur. Commodo Ant. P. F. Aug.
scholam cum C
ornat A
M. Caeci | lius M. f. Iul. Rufus Concord.
7 leg. | III Cyr(enaicae) ex corn(iculario) praef. vig.
sacerdotib | us
Flavio Marin | o
Chrysate Thy | rso

Saeculi II exeuntis esse videtur.

71. C. I. L. VI 413, Hettner 72, Wilmanns 97.

,,Ara marmorea Romae extra portam Latinam recens reperta.'' (Fea). — ,,In horreis Vaticanis, ubi integram descripsit Henzenus; postea superior pars in horrea Lateranensia translata, inferior videtur periisse.'' (Hettner).

I. o. s. p. D. 1) | et Iunoni sanctae | Herae Castorib(us) | et Apollini conservato|ribus Thyrsus | pro salute patroni sui | et sua suorumque | iussu numinis eorum | aram d(edit) | salvis candidatis 2) | huius loci | per C. Fabium Germanum.

In latere sinistro:

ded(icatum) VI idus | [O]ct. Peregrino et | Aemiliano | cos.

1) ,,S(ancto) p(raestantissimo) D(olicheno)'' non ,,S(oli) p(raestantissimo) d(igno)'' ut Henzeno et Hettnero, titulum sequentem n. 72 comparantibus (nisi quod hic de ,,d(igno)'' ambigit) placet, solvendum esse censeo. Constat enim eodem titulo n. 72 collato hic de Dolicheno cogitandum esse, quem, quamquam aliquoties una cum Sole in inscriptionibus laudatur, nulla res certa unum et eundem deum ac Solem esse testificatur. In tribus quidem monumentis nn. 89, 90, 106 Dolichenus corona radiata ornatus est, sed primum haec monumenta hodie deperdita tantum a Marcanova et Ligorio traduntur, tum ipsa corona eius formae est, ut cuivis deo non Soli solum tribui possit; cfr. sub n. 89. Contra in titulo n. 101 noster ,,[sa]nc(tus)'' vocatur, et sic hoc quoque in lapide legendum esse eo facilius crediderim, quod Iunoni mox idem epitheton datum est. Praestantissimus noster etiam in n. 75 appellatur. — 2) ,,Candidatos huius loci'' Henzen et Hettner eosdem esse rati, quorum in nn. 75, 76 mentio est, sacrario Aventinensi hunc et sequentem lapidem elatos esse affirmaverunt. Equidem mihi persuasum habeo et cum sacrario Esquilino, nequaquam minus amplo quam Aventinense erat, collegium cultorum coniunctum fuisse, quorum pars candidati nominabantur; cfr. etiam nn. 50, 95; cui sententiae favet, quod ,,collegae'' in titulo Esquilino n. 69*a* commemorantur.

Titulus positus est anno 244.

72. C. I. L. VI 412, Seidl 44, W. Froehner, Les musées de France pg. 27, ann. 1, Hettner 71.

Parva basis marmorea ,,Apud equitem de Porta statuarium in via Flaminia prope Mausoleum Augusti.'' (Cittadini); anno 1862 museo Parisino, quod Louvre dicitur, illata.

I. o. m. a. 1) D. et | Soli digno pres(tantissimo) | pro sal(ute) M. Aur. Andronici et Tarquilie | Marcelle coiugis et | filiorum eius aram | posuit ex voto per C. Fabium Germanum sacerd(otem).

1) ,,a primi versus solvenda est ,,Augusto'' aut ,,aeterno.'' (Hettner).

Urceus a sinistris, patera a dextris sculpta sunt.

73. Eph. ep. IV 737.

Fragmentum tabulae marmoreae. In agro Verano effossum sub fundamentis lateris meridionalis coenobii monachorum paenulatorum (cappucini) iuxta ecclesiam S. Laurentii ante muros.

Aedic | ulam
Iovis et |
item IO | vis
DolchE | ni
triclinu | m (sic)
et reliqV | a
maior |
genio n. |
P. Aelius M | 1)
leg. X Gem. |

1) ,,M[iron]'' haud invitus supplerem collato titulo sequenti n. 74, nisi in altero lapide Miron negotiator esse diceretur, in altero vero in legione X Gemina militare. Fortasse P. Aelium Mironem, postquam veteranus penatibus suis redditus sit, operam in mercatura collocasse statuendum est.

74. C. I. L. VI 367, Seidl 13, Hettner 83.

Ara marmorea ,,Nella villa Fonseca sul monte Celio.'' (Ficoroni, Gori); nunc in museo Vaticano (Chiaramonti a sinistris).

a. Iunoni sanctae[1] | iusso Iovis | Dolychen(i) | P. Aelius Miron | neg(otiator) d. d.

In latere litteris minoribus:

b. Dedic(atum) pr(idie) id(us) Mart(ias) | imp(eratore) [M]ACRIN[O] Aug(usto) cos. | et | Oclatinio Advento.

[1]) Propter epitheton ,,Sanctae'' hunc titulum, quamvis cunctabundus, Esquilinis annumeravi, cfr. n. 71 et pg. 60 ann., recte, si, quod proposui, tit. praecedens n. 73 ab eodem viro positus est. ,,Titulum anni 218 esse docet nomen ,,Macrini'', quod in lapide clarius legitur quam Henzenus in C. I. L. adnotavit.'' (Hettner).

Tituli ad templum Aventinense pertinentes,
(75, 76, 77, 78, 79, 80, 81).

75. C. I. L. VI 406 cfr. pg. 834, Lanziani, Bull. dell' Inst. 1870 pg. 84, Seidl 62, Hettner 65, Wilmanns 92, 3.

Tabula marmorea minutatim confracta humi composita lata ± m. 1,30, longa ± m. 2,92, litteris admodum inconditis. ,,In porticu hypaethri monasteri S. Alexii.'' (Accursius). Ibi pars eius supererat aetate Nerinii; duo alia eiusdem fragmenta denuo prodierunt anno 1868 prope aedem S. Alexii in munimentis faciendis; nunc extant in aedibus curatoris commercii et operum publicorum.

B(ona) f(ortuna)[1]) | Ex praecepto I. o. m. D. aeterni conservatori totius poli et numini prae|stantiss(im)o, exibitori[2]) invicto L. Tettius Hermes eq(ues) R(omanus) et | kandidatus et patronus huius loci pro salute sua et Aur|eliae Restitutae coniugis et Tettiae Pannuchiae filiae suae | et suorum et Aureli Lampadi fratris carissimi et pro saloute | sacerdotium et kandidatorum et colitorum huius loci tabula(m) | marmorea(m) cum proscaenio et columnis d(ono) d(edit). — Quos elexit | I. o. m. D. sibi servire[3]) M. Aurel(ium) Oenopione(m) Onesimum signum[4]) Acaci | notarium et Septimium Antonium signum Olympi patre(m), kandid(atos), | patronos, fratres carissimos et collegas hon(estissimos)[5]), Aur(elium) Magnesium | Aur(elium) Serapiacum, Antonium Marianum, M. Iul(ium) Floren|tinum principe(s) huius loci et Aur(elium) Severum veteranum curatorem tempuli et | Aur(elium) Antiochum sacerdote(m), Gemi(us) Felix et | Vibius Eutychianus lecticari dei, Co . . . . . Centianus | ///?

[1]) ,,B. F.'' ,,Mommsenus monuit sic praescriptum reperiri in titulis Latinis exaratis in parte imperii Graeca vol. III 249, 251, 383, ubi dixit explicandum esse aut Latina ratione ,,bonum factum'' aut Graeca ,,bona fortuna, ἀγαθῇ τύχῃ.'' Hic quoque titulus etsi Latine scriptus tamen Syriacorum hominum videtur esse: quo item ducit, quod v. 6 legitur ,,saloute.'''' (Henzen). — [2]) ,,Exhibere'' apud scriptores posterioris Latinitatis, praesertim apud Iurisconsultos originis Orientalis, Ulpianum, Papinianum, Iulium Paulum non raro sensu alendi usurpatur, cfr. de Vit, Lexicon s. v. 10, item ,,exhibitio'' sensu alimentorum, vel victus o. c. s. v. 2. Exhibitor igitur hic ,,is, qui alit, altor'' significare videtur. — [3]) ,,Titulus videtur desinere in laterculum eorum, quos elegerit Juppiter Dolichenus sibi servire, qui recensentur primum casu accusativo, deinde nominativo.'' (Mommsen). — [4]) ,,Signum'' in hoc versu et sequenti idem valere ac Francogallicum ,,sobriquet'' tirones moneo. — [5]) Wilmanns animadvertit ,,notarium'' et ,,patrem'' eosdem ,,kandidatos'' et ,,patronos'' esse atque a L. Tettio Hermete, qui lapidem inscribendum curavit, ideo ,,fratres carissimos'' et ,,collegas honestissimos'' appellari, quod ipse ,,candidatus'' et ,,patronus'' sit, cfr. v. 4.

76. C. I. L. VI 409, Lanziani, Bull. dell' Inst. 1870 pg. 85, Hettner 66, Wilmanns 92, 3.

Fragmentum tabulae marmoreae effossum ex ruderibus Alexiani coenobii, quod Wilmansio ad titulum superiorem referendum esse videtur. Extat hodie in impluvio coenobii.

. . . [sacc]rdotes et candidati
. . . [con]tulerunt in fabrica . templi
Iul
. . . . . 'AS . Domitius . Severus . Alexander[1]).

Nomina eorum, qui ,,in fabrica templi contulerunt'', fortasse legimus in fragmento ibidem reperto, cfr. Lanziani l. l., Hettner pg. 47 ann. 1.

. . . . . S	. EVLOGIVS	
. . . . VS	. PRIMVS	S
IVS	. FLORENTIVS	S
MEMMIA	. FLORIDA	SS

[1]) ,,Severus Alexander.'' Haec fragmenta et titulum superiorem n. 75 et sequentes nn. 77, 78 scripta esse, postquam imperator eiusdem nominis rerum potitus sit, probabiliter coniecit Hettner.

77. C. I. L. VI 407, Seidl 61, Hettner 67, Wilmanns 92, 2.

Ara rotunda litteris non bonis. ,,In aedd. Io. Coritii ad forum Traianum.'' (Metellus, Smetius); nunc Florentiae.

Ex iussu I. o. m. D. | L. Tettius Hermes[1]) | cum coiuge sua et filis | et omnibus suis | cantharum cum | vase (= base) sua posuerun(t).

In latere:

Sub | scriba | Fonteio | Eutycho.

[1]) ,,Nota L. Tettium Hermetem item in n. 406 (= n. 75) commemorari, unde titulus minime dubium quin ad aedem Dolicheni Aventinensem pertineat.'' (Henzen).

78. C. I. L. VI 408, Seidl 34, Hettner 68, Wilmanns 92, 1.

,,Apollo nudus, facie muliebri, crine in collo ligato et fasciato, dextra plectrum, sinistra lyram tenens, ad truncum stat. In horto card. Caesii.'' (Smetius, Pighius); nunc ,,im pompeianischen Hause bei Charlottenhof'' prope *Potsdam*. Statuam aere expressit Beger (ex schedis Pighii fol. 23; cfr. O. Jahn, Berichten der Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften (1868) XX pg. 172), Spicilegium Antiquitatis 93, 9.

In trunco:

Ex prae|cepto I. o. m. D. | per | Acac|um notari|um | et | Olympi|um | patrem[1]).

In basi ipsius statuae:

Antonii Mariani[2]) pater et filius | simulacrum Apollinis | statuerunt.

[1]) ,,Acacus notarius et Olympius pater in titulo 406 (= n. 75) omnibus nominibus dicuntur ,,M. Aurelius Oenopio Onesimus signum Acaci notarius'' (vv. 9, 10) et ,,Septimius Antonius signum Olympi pater'' (v. 10). Itaque hoc quoque monumentum constat referendum esse ad sacrarium Dolicheni in Aventino situm.'' (Henzen). — [2]) Iam in tit. n. 75, v. 12 ,,Antonium'' quendam ,,Marianum'' invenimus.

79. C. I. L. 410, Seidl 37, Hettner 69, Wilmanns 1377.

,,Ara praegrandis, quam in Aventino iuxta aedem S. Sabinae repertam esse testatur Accursius affirmaturque eo, quod sub Aventino ad ripam Tiberis constat fuisse stationem marmorum.'' (Hettner).

I. o. m. D. | pro salute Augg. nn. | L. Septimi Severi Pii | Pertinacis et M. | Aureli Antonini Pii | Felicis Aug.[1]) | et Iuliae Aug. et S. P. Q. R. | Semnus Augg. nn. lib(ertus) optio | tabellariorum stationis | marmorum aram posuit.

[1]) ,,,,Pii | Felicis Aug.'' prius erasa sed postea restituta esse notant Smetius et Pighius; sunt potius reposita priore inscriptione ,,et | Getae Caesaris'' erasa.'' (Henzen). Quae si vera sunt, titulus intra annos 198 et 209 positus est; cfr. R. Cagnat o. c. pg. 198, ann. 2.

Lateri dextro arae eandem inscriptionem incisam fuisse testantur Ligorius, Boissard, Smetius.

80. C. I. L. VI 411, Seidl 14, Hettner 70.

Ara marmorea. ,,In aede divi Alexii.'' (Metellus); nunc in museo Vaticano (Galleria lapidaria, intranti a dextra).

Iovi optumo | maximo Do|locheno T. | Flavius Cos|mus[1]) iussu dei | fecit.

[1]) Hunc T. Flavium Cosmum eundem esse, qui in fistula plumbea aquaria C. I. L. XV 7443, Dessau 1476, reperta in cuniculis sub coenobio S. Sabinae (in Aventino sito) ,,Cosmus Aug(usti) lib(ertus) a rat(ionibus)'' appellatur, affirmat Lanziani, Bull. com. 1893 pg. 6, negat Hettner (quem tamen pg. 20 hac de re disputantem me animo assequi non posse fateor). Dressel C. I. L. XV 7443 rem incertam esse iudicat. Revera ,,Cosmo Augusti liberto'' nomen gentilicium ,,Flavium'' fuisse ex sequenti lapide elucere videtur (Notizie degli Scavi 1896, pg. 22) in via Flaminia prope Romam effosso:

D. M. | Flaviae Aug(usti) lib(ertae) Regillae | Cosmus Caesaris n(ostri) ser(vus) | ver(na) cum Laudicen(e?) sorore | matri optimae | et Avilia Agathe fecerunt.

Cosmum nomen matris, non patroni, gentilicium sibi indidisse, admodum insolitum esse, ut qui maxime, mihi conscius sum. Fieri tamen potest, ut, cum inter servos conubium non existeret, extra iustas nuptias ortus matris nomine nuncupatus sit.

Praeterea idem ,,Cosmus Augusti (vel Augustorum) libertus a rationibus'' etiam in duobus aliis titulis redit C. I. L. VI 455, IX 2438, qui ambo circiter annum 168 p. Chr. n. positi sunt, neque igitur temporis ratio obstat, quo minus eum pro ,,T. Flavio Cosmo'' tituli nostri habeamus, cuius litteras saeculo altero exeunte incisas esse Hettner ex ectypo chartaceo conclusit.

81. C. I. L. VI 366, Seidl 7, Hettner 73.

,,Parva marmorea quadrata. In vinea Marii Volat. apud aedem S. Sabinae in Aventino.'' (Accursius).

Iovi optimo | maximo Dolichen(o) | Paezon Aquiliaes | Bassillaes actor | cum Paezusa filia sua | d. d.

Idem vir dedicavit C. I. L. VI 365:

Iunoni | Reginae | Paezon | Aquilliaes | Bassillaes | actor cum Paezusa | filia sua d. d.

Hunc titulum eodem loco ac priorem effossum esse Pighius asse-

Ex iussu I. o. m. D. | L. Tettius Hermes[1] | cum coiuge sua et filis | et omnibus suis | cantharum cum | vase (= base) sua posuerun(t).

In latere:

Sub | scriba | Fonteio | Eutycho.

[1]) ,,Nota L. Tettium Hermetem item in n. 406 (= n. 75) commemorari, unde titulus minime dubium quin ad aedem Dolicheni Aventinensem pertineat.'' (Henzen).

78. C. I. L. VI 408, Seidl 34, Hettner 68, Wilmanns 92, 1.

,,Apollo nudus, facie muliebri, crine in collo ligato et fasciato, dextra plectrum, sinistra lyram tenens, ad truncum stat. In horto card. Caesii.'' (Smetius, Pighius); nunc ,,im pompeianischen Hause bei Charlottenhof'' prope *Potsdam*. Statuam aere expressit Beger (ex schedis Pighii fol. 23; cfr. O. Jahn, Berichten der Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften (1868) XX pg. 172), Spicilegium Antiquitatis 93, 9.

In trunco:

Ex prae|cepto I. o. m. D. | per | Acac|um notari|um | et | Olympi|um | patrem[1]).

In basi ipsius statuae:

Antonii Mariani[2]) pater et filius | simulacrum Apollinis | statuerunt.

[1]) ,,Acacus notarius et Olympius pater in titulo 406 (= n. 75) omnibus nominibus dicuntur ,,M. Aurelius Oenopio Onesimus signum Acaci notarius'' (vv. 9, 10) et ,,Septimius Antonius signum Olympi pater'' (v. 10). Itaque hoc quoque monumentum constat referendum esse ad sacrarium Dolicheni in Aventino situm.'' (Henzen). — [2]) Iam in tit. n. 75, v. 12 ,,Antonium'' quendam ,,Marianum'' invenimus.

79. C. I. L. 410, Seidl 37, Hettner 69, Wilmanns 1377.

,,Ara praegrandis, quam in Aventino iuxta aedem S. Sabinae repertam esse testatur Accursius affirmaturque eo, quod sub Aventino ad ripam Tiberis constat fuisse stationem marmorum.'' (Hettner).

I. o. m. D. | pro salute Augg. nn. | L. Septimi Severi Pii | Pertinacis et M. | Aureli Antonini Pii | Felicis Aug.[1]) | et Iuliae Aug. et S. P. Q. R. | Semnus Augg. nn. lib(ertus) optio | tabellariorum stationis | marmorum aram posuit.

[1]) ,,,,Pii | Felicis Aug.'' prius erasa sed postea restituta esse notant Smetius et Pighius; sunt potius reposita priore inscriptione ,,et | Getae Caesaris'' erasa.'' (Henzen). Quae si vera sunt, titulus intra annos 198 et 209 positus est; cfr. R. Cagnat o. c. pg. 198, ann. 2.

Lateri dextro arae eandem inscriptionem incisam fuisse testantur Ligorius, Boissard, Smetius.

80. C. I. L. VI 411, Seidl 14, Hettner 70.

Ara marmorea. ,,In aede divi Alexii.'' (Metellus); nunc in museo Vaticano (Galleria lapidaria, intranti a dextra).

Iovi optumo | maximo Do|locheno T. | Flavius Cos|mus[1]) iussu dei | fecit.

[1]) Hunc T. Flavium Cosmum eundem esse, qui in fistula plumbea aquaria C. I. L. XV 7443, Dessau 1476, reperta in cuniculis sub coenobio S. Sabinae (in Aventino sito) ,,Cosmus Aug(usti) lib(ertus) a rat(ionibus)'' appellatur, affirmat Lanziani, Bull. com. 1893 pg. 6, negat Hettner (quem tamen pg. 20 hac de re disputantem me animo assequi non posse fateor). Dressel C. I. L. XV 7443 rem incertam esse iudicat. Revera ,,Cosmo Augusti liberto'' nomen gentilicium ,,Flavium'' fuisse ex sequenti lapide elucere videtur (Notizie degli Scavi 1896, pg. 22) in via Flaminia prope Romam effosso:

D. M. | Flaviae Aug(usti) lib(ertae) Regillae | Cosmus Caesaris n(ostri) ser(vus) | ver(na) cum Laudicen(e?) sorore | matri optimae | et Avilia Agathe fecerunt.

Cosmum nomen matris, non patroni, gentilicium sibi indidisse, admodum insolitum esse, ut qui maxime, mihi conscius sum. Fieri tamen potest, ut, cum inter servos conubium non existeret, extra iustas nuptias ortus matris nomine nuncupatus sit.

Praeterea idem ,,Cosmus Augusti (vel Augustorum) libertus a rationibus'' etiam in duobus aliis titulis redit C. I. L. VI 455, IX 2438, qui ambo circiter annum 168 p. Chr. n. positi sunt, neque igitur temporis ratio obstat, quo minus eum pro ,,T. Flavio Cosmo'' tituli nostri habeamus, cuius litteras saeculo altero exeunte incisas esse Hettner ex ectypo chartaceo conclusit.

81. C. I. L. VI 366, Seidl 7, Hettner 73.

,,Parva marmorea quadrata. In vinea Marii Volat. apud aedem S. Sabinae in Aventino.'' (Accursius).

Iovi optimo | maximo Dolichen(o) | Paezon Aquiliaes | Bassillaes actor | cum Paezusa filia sua | d. d.

Idem vir dedicavit C. I. L. VI 365:

Iunoni | Reginae | Paezon | Aquilliaes | Bassillaes | actor cum Paezusa | filia sua d. d.

Hunc titulum eodem loco ac priorem effossum esse Pighius asse-

verat; sed ,,cum Pighium ipsum titulum non vidisse ex falsa versuum distinctione appareat, nescio an ipse vel is, a quo titulum accepit, locum finxerit propter similitudinem n. 366.'' (Henzen). Ut iam Aventino titulus tribuendus sit, tamen, utrum Dolicheni *παρέδρῳ* oblatus sit an Iunoni Reginae, deae Romanae, cuius templum in eodem Aventino iuxta S. Sabinam collocatum fuit, dubium manet.

---

82. O. Marucchi, Bull. com. 1886 tab. V, pg. 136 seqq., Henzen, Ann. dell' Inst. 1885 pg. 290 n. 38, von Domaszewski, Die Religion des römischen Heeres tab. III fig. 5, pg. 64 n. 134.

Tabula marmorea a parte dextra inferiore mutila, longa m. 0,85, lata m. 0,43. Effossa est in castris equitum singularium prope ,,Scala santa'' anno 1885.

A sinistris conspicitur protome Solis chlamydati. Quinque radii ex intonsis capillis, quibus vultus iuvenilis includitur, prominent. A dextra parte Solis (sc. ectypum intuenti) protome nescio cuius personae barbatae sculpta est, quam pro Dolicheno habendam esse propterea negaverim quod cum pileus vel galea tum thorax, quae noster plerumque gestare solet, hac in imagine desiderantur. Effigiem dedicatoris esse probabiliter statuit Marucchi pg. 136. Inter has duas protomas parvum caput muliebre, sinistrorsum versum, luna crescenti in fronte ornatum et duas stellas cernimus. Pessima artis ratio, qua tabula nostra facta est, saeculo tertio priorem non esse arguit. Vide etiam, quae de aetate huius lapidis sub titulo sequenti n. 83 annotavi.

In parte dextra superiore lapidis inscriptio haec exarata est:

Soli invicto | pro salute imp(eratorum) | et genio n(umeri) | eq(uitum) sing(ularium) eorum M. Ulp(ius) | Chresimus sace[rd(os)] | Iovis Dolich[eni] | v. s. l. l. [m.].

83. O. Marucchi, Bull. com. 1886 pg. 134 n. 3, Henzen, Ann. dell' Inst. 1885 pg. 289 n. 34, Dessau 2193*a*.

Cippus marmoreus una cum tabula superiore n. 82 repertus.

Iovi | Dolicheno | pro salute n(umeri) | eq(uitum) sing(ularium) Aug(usti) | Q. Marcius | Artemidorus [1] | medicus cas|trorum aram | posuit.

[1] ,,Q. Marcius Artemidorus'' et ,,M. Ulpius Chresimus'' tituli superioris n. 82 in inscriptione ibidem reperta commemorantur, Notizie degli Scavi 1889 pg. 223, Bull. com. 1889 pg. 221, tab. IX, Dessau 2193. Quam cum litteris malis saeculi III exeuntis scriptam esse constet, nostros titulos eisdem fere temporibus tribuendos esse censeo.

A sinistris urceus, a dextris patera sculpta sunt.

84. C. I. L. VI 415, Hettner 79, Bull. dell' Inst. 1861 pg. 179.

Basis quadrata lapide Tiburtino, litteris aetatis recentioris. Reperta m. Maio 1861 trans Tiberim prope apsidem ecclesiae S. Mariae dell' Orto in cubiculo, cuius parietes adhuc stabant quamvis igne corrupti.

I. o. m. | Dolcheno | Aurelius Teatecnu|s [1] filius Hela [2] | sacerd(os) d.d.

[1] ,,Teatecnus = *Θεότεκνος* Usenerus; quod nomen legitur Phot. 92*b*. 39 et Synes. ep. 16 — T pro *Θ* usitatissimum; de littera a conferenda sunt nomina ut Theagenes (*Θεαγένεια* Orelli 4547). — [2] Hela videtur signum hominis esse. Nam domum esse (cfr. Steph. Byz. *Ἕλλα, χωριόν Ἀσίας*) non credo, quod nec domo praepositum est nec in talibus inscriptionibus solet indicari domus.'' (Hettner).

85. C. I. L. VI 416, Seidl 9, Hettner 81.

,,In domo Marcelli capo de ferro.'' (Iucundus).

Iovi Dolicheno | M. Au[t]ronius [1] Karicus | d. d.

[1] ,,Averonius'' tradit Iucundus; emendavit Henzen.

86. C. I. L. VI 417, Seidl 35, Hettner 82.

,,Cippus marmoreus litteris aetatis circiter Gallieni Augusti. In hortis cardinalis Caesii.'' (Smetius, Knibbius). Extat in museo Vaticano (Galleria lapidaria, Dii [1]).

In parte adversa:

I. o. m. D. | Aur(elius) Iulianus [1] | eq(ues) R(omanus) sacer|dos (h)uius | loci d.d.

In latere intuenti sinistro:

Aquil. leg. V Maced.
aquila [2].

In latere intuenti dextro:

Aquil. leg. IIII Scut.
aquila [2].

[1] ,,Idem vir dedicavit ectypum (Henzen, Bull. dell' Inst. 1856 pg. 110 seqq.), quod nunc extat in villa Ludovisi [Th. Schreiber, Die Antiken Bildwerke der Villa Ludovisi n. 337] incertae originis [fuit tamen olim conservatum in iisdem hortis cardinalis Caesii]. In quo ficta est dea Iunoni similis in cervo dextrorsum gradienti stans,

peplo induta, diademate caput ornata, in sinistra elevata sceptrum tenens; dextra manus deest. In basi legitur haec inscriptio'': (Hettner).

C. I. L. VI 2275.

Iulius Aelius Aur(elius) Iulianus eq(ues) R(omanus) sac(erdos) huius ≡H≡ | cum suis omnibus ex voto liviens animo | d. d.

2) Cur legiones commemoratae sint, Hettner se nescire confitetur, neque ego quaestionem soluturus esse mihi videor. Nota tamen legionem IIII Scythicam, postquam ab Augusto in Syriam missa sit, in hac provincia usque ad novissima tempora imperii Romani castra habuisse; cfr. Grotefend apud Pauly-Wissowa IV, pg. 879. Aquilas legionum iam in tabula 28*b* expressas invenimus.

87. C. I. L. VI 419.

,,Reperta in vinea Angeli Matthaei extra portam Castelli.'' (Amaduzzi).

Quinque versus erasi:

I. o. m. d(eo) D(olicheno)[1] | pro salute imp. | L. Septimii Severi | et M. Aurelii | Antonini Aug. | Pii Felicis[2] et | Iuliae Aug. matr(is) | Aug(ustorum) et castro | rum senatus et | populi Romani[2] | sacerdotes | posuerunt.

1) Lectio ,,d(is) d(eabus)'' — cfr. Monitum pg. 35 — hoc utique in lapide sana esse nequit, quem qui posuerunt sacerdotes (v. 11), ,,Iovis optimi maximi deorum dearum'' sacerdotio praefuisse haud facile quisquam sibi persuaserit. At si titulum Dolicheno asserimus, res optime se habet. De ,,d(eo) D(epulsori)'' vix cogitandum est, cum ,,deus Depulsor'' in nullo lapide commemoretur, contra ,,deus Dolichen(i)us'' in nn. 132, 142. — 2) ,,Verba ,,Pii Felicis'' credo reposita esse pro erasis ,,et Getae Caes.'', item v. 8 pro ,,castrorum . . . . Romani'' antea fortasse scriptum erat ,,Plautillae Aug. totiusque domus divinae.'''' (Henzen). Si Henzen recte coniecit, titulus circiter annum 203 positus est.

88. Eph. ep. IV 743, Seidl 39.

In saeptis tributis.

I. o. m. D. | et Soli | sacrum.

De monumentis et titulis urbanis a Pyrrho Ligorio traditis, (89, 90, 91, 92).

89. Ectypum in ara marmorea sculptum e schedis Stephani Duperaci (Etienne Dupérac), qui ipse e Ligorio hausit, a Froehnero foras datum,

Les musées de France pg. 31. Imaginem in Ligorii libr. Neap. 34 pg. 17 exhibitam eandem esse ac Duperacianam puto.

Dolichenus tauro dextrorsum verso insistens in aedicula fictus est, cuius arcus duabus parastatis striatis sustinetur. Pedes dei calceis tecti sunt, pectus thorace cinctorio circumiecto. In capite barbato et capillato gerit coronam radiatam nec tamen, qualis Soli tribui solet, sed, qua heroes vel imperatores ornantur *). Hoc tamen potissimum in monumento nostro sub oculos cadit deum *sinistra bipennem*, *dextra fulmen* tenere, cum alias semper ordine inverso haec tela gestare soleat. De umero sinistro lacinia vestimenti dependet quam magis indicatam quam expressam esse diceres. Haec quoque lacinia in aliis monumentis nn. 28*b*, 58*a*, 90 ex umero *dextro* dependens sculpta est.

Sub tauri pedibus legitur:

C. I. L. VI 418, Seidl 59 et 60, Hettner 80.

Iovi o. m. Dolicheno | G. Frontinius Nigrinus Lucius[1] | aram posuit l. m.

1) ,,Magis crediderim nationem significari quam praenomen Lucii cognominis loco usurpari.'' (Henzen).

Nemo profecto huius tituli authentiae obtrectaverit, quem nobis praeter Ligorium complures iidemque gravissimi auctores tradunt, et vulgo apud S. Benedictum in Transtiberi extitisse affirmant. Anaglypho autem cur iure diffidas, argumenta in promptu sunt. Smetius enim, qui eodem fere tempore quo Ligorius Romae morabatur monumentum hunc in modum describit fol. XVIII-8: ,,Ara marmorea. Insculptus est bos et super eo stat deus ipse, ut ante (i. e. soccatus barbare), sed *supra umbilicum omnino mutilus.*'' Cum hac descriptione bene congruit imago eiusdem ectypi, quam Pighius delineavit (O. Jahn, Ber. der Sächs. Gesellsch. der Wissensch. (1868) XX pg. 194 n. 81), ubi etiam superior pars dei usque ad umbilicum desideratur **). Atqui

---

*) Cfr. Stephani, Nimbus und Strahlenkranz, Mémoires de l'Académie impériale des sciences de St. Petersbourg IX (1859) pg. 459 ann. 16: ,,In der That ist demnach die Form des Strahlenkranzes bei welcher die Lichtstrahlen unmittelbar aus dem Kopf oder dem ganzen Körper hervorbrechend gedacht sind, ganz verschieden von der der *Strahlenkrone* welche die von einem Band zusammengehaltenen strahlenförmigen Spitzen nur als Stellvertreter wirklicher Strahlen von aussen her mit dem Kopf in Verbindung bringt.'' Pergit pg. 477: ,,Sie (sc. die Strahlenkrone) war bestimmt den allen Gottheiten gemeinsamen Lichtglanz zu dem Zweck an zu deuten, damit die Geschmückten selbst als Götter erschienen.''

**) Taurus ibi *sinistrorsum* versus expressus est, item in ectypo sequenti n. 90, in quo Pighius omnia mutato ordine depinxit, cfr. infra pg. 79, unde Hettner Pighium ipsum neutrum monumentum vidisse iure statuit pg. 29 ann. 2.

Ligorius, quamquam aequalis Smetii Pighiique fuit, tamen ante eos, praesertim cum in Italia vitam degeret, ectypum integrum videre potuit. Sed, ut taceam de more inusitatissimo, quo Dolichenus in parte superiore imaginis Ligorianae arma sua gestat (vide supra), ex descriptione quoque Iucundi effici potest iam ante Ligorium natum monumentum nostrum a parte superiore mutilum fuisse. Verba enim Iucundi haec sunt: ,,. . . . . ubi taurus est sculptus habens supra se *hominem* stantem.'' Sane si Iucundus vel auctor eius in ectypo integro Dolichenum fulmen tenentem conspexisset, non ,,*hominem*'' sed ,,*deum*'' vel ,,*Iovem*'' scripsisset, cfr. Hettner pg. 27 ann. 3 *).

Ligorium itaque partem superiorem ectypo mutilo suo nomine addidisse satis superque demonstratum arbitror. Certum tamen est eum ex altero monumento Dolicheno oblato eoque genuino elementa mutuatum esse, quibus partem amissam ectypi nostri reficeret: bipennem e. g. Dolicheno tribuit, quam nisi effigies quaedam dei ei cognita fuisset, nostro aptam esse scire non potuit. Ectypa autem Dolicheni, quae praeterea in schedis Ligorianis inveniuntur, duo sunt (nn. 90, 91).

90. Ara a Froehnero publicata, Les musées de France pg. 33, e schedis Duperaci, cui Ligorius subministravit, Hettner 84.

A sinistris sculptus est bos dextrorsum gradiens, in quo Dolichenus stat. Gerit thoracem atque cingulum et bracas, nisi forte hae imperitiae eius, qui imaginem delineavit, imputandae sunt (cfr. infra Smetius ,,soccatus barbare''). Sinistra fulmen tenet, dextra elevata bipennem. Ex umero dextro lacinia pendet sed parum diligenter sculpta ut in ectypo superiore. Caput imberbe eiusdem formae corona ornatum, de qua supra egimus, dextrorsum spectat. Umero dextro insidet avis sive aquila sive corvus [**] — est enim humilis staturae — rostro deo coronam porrigens. Post tergum Dolicheni pharetra sinistrorsum eminet, quam cum Froehnero et Hettnero pro vagina gladii habeo a Ligorio male accepta.

Dextram ectypi partem dea obtinet Dolicheno obversa, premens cervi tergum, qui sinistrorsum versus stat in basi inscriptione Graeca

*) Hettnerum non intellexisse miror imaginem, quam Apianus ectypi nostri exhibet pag. CCLXXII, totam de arbitrio fictam esse. Quam qui delineavit, numquam ipse ectypum vidit sed verba tantum Iucundi graphide reddere temptavit. Expressit igitur ,,*hominem* (cui speciem bubulci saeculi XVI induit) *supra taurum stantem*'' ita tamen, ut non tergo tauri, cui debuit, insisteret sed in loculo superiore sinistrorsum incederet.

**) Aquilam, non corvum Dolicheni sacrum esse negari nequit. Si coniecturae locus est, Ligorium aquilam in corvum transformasse putaverim, quem in plurimis ectypis Mithriacis ab eadem parte sinistra advolantem videre potuit.

(vide infra) insigni. Dea vestem talarem induta in capite velato lunae signum gerit, dextra speculum rotundum, ut videtur, sinistra sceptrum.

In medio ectypo inter basim et taurum aram conspicimus, in qua nux pinea posita est, nisi potius eam cum Froehnero flammam esse censeas a Ligorio minus accurate redditam, cfr. arae ardentes in n. 28*a* et *b*.

Smetius de monumento nostro haec profert fol. XVIII-7 et ms. Neap. pg. 59: ,,In Quirinali in vinea cardinalis Ferrariensis (episcopi Neapolitani). Ad aram, in qua pinus, stat taurus et super eo soccatus quidam barbare (nescio an ipse deus); adversus paullo in monticulo stat, ut videtur, aries. Subsequitur inscriptio.''

Extat denique eiusdem ectypi imago in codice Pighiano Berolinensi fol. 8 (O. Jahn, Ber. der Sächs. Gesellsch. der Wissensch. (1868) XX pg. 194 n. 80) quam Hettner, postquam sibi ex ipso codice delineandam curavit, sic describit pg. 30: ,,Vides deum ad umbilicum tantum incolumem a dextra imaginis parte in tauro sinistrorsum verso stantem. A sinistris ara. Supra aram intervallo interiecto aries. Quem in monticulo stare non accurate dicit Smetius. Nihil enim conspicis nisi lineolas circum arietis pedes ductas, quae significant solum. Deinde cum apud Duperacium basi, in qua dea stat, inscriptio incisa sit, apud Pighium totum monumentum in duas partes divisum est, quarum superiorem occupat ectypum, inferiorem titulus. Columnis doricis, quae desunt apud Duperacium, teste Pighio includitur ectypum.'' Inscriptionem huius ectypi legas in Corpore Inscriptionum Graecarum Siciliae et Italiae (Kaibel) 984, C. I. Gr. 5937, Seidl 58, Smetio auctore exceptam:

Κατὰ κέλευ | σιν θεοῦ Δολι | χηνοῦ ἀνέστησα[1]) | *ΚΑΤΑΘΗΝΕΟΥΤΟΥΙ* | *ερου̃*[2]) *Μᾶρκος Οὔλ|πις*[3]) *καὶ ὁ υἱὸς Μᾶρ|κος*[4]) *Οὔλπις Ἀρτέ|μων.*

1) ,,*ἀνέστησα[ν]*'' Franz (C. I. Gr. 5937). In imagine Duperaciana male ,,*ἀνέτησα.*'' – 2) ,,Non intellego ,,*κατ' Ἀθηνέου τοῦ ἱεροῦ*'', quod Franz edidit.'' (Kaibel). — 3) In imagine Duperaciana ,,*Οὔλπιος*'' et — 4) ,,*Μάηκος*'' (sic!).

Titulus, si qui, officinam Ligorii olet, nam ut de versu 4 inexplicabili taceam, vereor, ne nomina ,,*M. Οὔλπις*'' vel ,,*Οὔλπιος*'', Graecis litteris scripta, saepius a falsario adhibita sint ad inscriptiones aut interpolandas aut totas fingendas. Sic e. g. inscriptionem genuinam C. I. L. VI 427: ,,*Διὶ πατρίῳ* | ex oraculo'' interpolavit C. I. L. VI, 5,440*: ,,*Δ. πατρίῳ* | *M. Οὔλπιος* | *Γοργίας* | *ἀνεθηκ* | ex oraculo'' neque dubitandum est, quin tit. C. I. L. VI, 5,373* ingenio

tantum Ligorii originem debeat: ,,*Μ ΟΥΑΠΙΟΣ* | *Θεαι Ισιδις* | *Α. Ουαλεριος* | *Σατυρος απε* | *λευ Σεουαστ* | *ανεθηκ* | aram | Isis exoratae."

91. C. I. L. VI, 5,465*, Seidl. 68.

,,Havemo veduto in una taboletta di bronzo." (Ligorius, Taur. 7 s. v. Dolichene).

Juppiter s. bipennem, d. sceptrum tenens, stans in tauro.	Iuno d. discum, s. sceptrum tenens, stans in cervo.
Iòvi optimo max.	Iunoni Assy
Dolicheno	riae reg.
L. Fabirius L. l. Philoti	Dolichenae
mus v. s. l. m.	

Si Hettnerum pg. 30 hoc de monumento disputantem bene intellego, nunquam extitisse sed imaginem tantum secundum ectypum n. 90 a Ligorio factam esse putat. Fieri tamen potest ut genuina sit *tabella ahenea*. Dolichenum enim in *laminis aheneis* sculpi moris esse, monumenta nn. 28, 58, 63, 145, comprobant. Tum, id quod Henzen, Bull. dell' Inst. 1856 pg. 112 exposuit, priori inscriptionis parti, quo minus fidem habeamus, nulla res obstat. In altera vero vox ,,Assyriae" suspicionem movere possit; sed Th. Nöldeke, Hermes 1871 pg. 433 seqq. demonstravit saepenumero ,,Assyrius" pro ,,Syrius" aut ,,Syrus" usurpari *), quod epitheton deae, una cum Dolicheno cultae, aptum esse, nemo non videt, etiamsi non idem numen sit, quod vulgo ,,dea Syria" appellatur. In titulo sub n. 81 proposito C. I. L. VI 365 Dolicheni παρέδρῳ fortasse, ut hic, nomen ,,Reginae" datum est at nusquam ,,Dolichenae."

Haec tamen gravissima causa mihi extat, cur hoc ectypum genuinum ducam: In dextra parte imaginis Duperacianae ectypi superioris n. 90 deam conspicimus dextra discum, sinistra sceptrum tenentem, quam neque Smetius commemoravit neque Pighius delineavit. Omnino haec dextra pars imaginis Duperacianae n. 90 fide minime digna est, cum ét in ea inscriptio manifesto falsa aut interpolata reperiatur ét cervus a Smetio et Pighio pro ariete habeatur. Ligorius igitur hanc dextram partem monumenti n. 90 non ut in lapide ipso apparebat, pinxisse videtur, sed ut ectypum mutilatum restituendum esse existimabat. Unde tamen deam cum speculo et sceptro petivisset, nisi ex tabula n. 91, ubi una cum Dolicheno ficta est? Non potest igitur commen-

*) Sic Lucianus, De Syria dea c. 1, deam Syriam *Ἥρην τὴν Ἀσσυρίην* vocat et, quod in optimo codice Apulei, Laurentiano 68-2, legitur (Metamorph. VIII, 25) ,,de assyria", potest corruptum esse ex ,,dea assyria."

ticia esse. Nam tertium monumentum Romae extitisse, ex quo Ligorius scire potuit deam in cervo stantem Dolicheni sociam esse, quodque ad *utrumque ectypum* ét n. 90 ét n. 91 conformandum vel interpolandum adhibuisset, parum credibile est.

Rationem, qua haec tria ectypa Ligoriana nn. 89, 90, 91 inter se cohaerent, melius perspiciemus, si effigiem Dolicheni ipsius in iis conspicuam diligenter examinaverimus.

In primo n. 89 partem superiorem dei a Ligorio suppletam esse supra demonstravimus sed, quibus auxiliis ut diiudicemus, antea duo reliqua ectypa tractanda sunt.

Quod ad alterum n. 90 attinet, quamquam Pighius deum tantum umbilico tenus exprimit neque Smetii descriptio satis perspicua est, tamen imaginem Duperacianam maximam partem sinceram esse aquila cum corona et gladius et lacinia vestimenti ex umero dextro demissa docent, quae nostro optime convenire ex monumentis recentioribus demum temporibus repertis cognovimus.

In tertio denique ectypo n. 91 deus sceptrum tenet dextra, quod, ut nequaquam Dolicheni solitum insigne est, ita ei in duobus aliis quoque ectypis tribuitur nn. 150, 151. At *sinistra*, non dextra bipennem deum gerere iure mireris. Sed ne hac de causa monumentum spurium esse contenderit quispiam, contra re ipsa aliud argumentum accedere, quo magis ectypo credas, demonstrare conabor.

Ligorium cum partem superiorem monumento primo n. 89 appingeret, ectypum n. 90 exemplum sibi proposuisse Hettner probare studuit nec desunt certe indicia, ut lacinia vestis et corona radiata, quibus alterum monumentum aliqua ex parte ex altero depictum esse stabiliri possit. Cur tamen Ligorius bipennem, fulmen, laciniam in n. 89 transposuit (vide pg. 77)? Hettner hanc affert causam pg. 29: ,,Quod in hoc ectypo (sc. n. 89) deus sinistrorsum, dextrorsum in Ulpiano (sc. n. 90) versus est, Ligorius ut superiorem alterius monumenti partem ad alterum accomodaret, omnia mutato ordine depinxit." Sed ut iam concedam in ectypo Ulpiano (n. 90) deum dextrorsum spectare, in altero (n. 89) certe conversionis in partem sinistram nihil apparet *). Nec, etiamsi ita esset, causa extitisset, cur Ligorius omnia dei insignia inverso ordine reddidisset. Immo tertium monumentum n. 91, ubi Dolichenus bipennem *sinistra* tenet, in ectypo n. 89 interpolando sub oculis habuit, ad quod cetera quoque referenda esse

*) Hettnerum ad sententiam suam expromendam imagine ab Apiano tradita ectypi n. 89 adductum esse suspicor, ubi revera homo supra taurum *sinistrorsum* graditur. Sed hanc imaginem prorsus commenticiam esse supra pg. 78, ann. 1 vidimus.

videntur, quibus imagines Duperacianae ectypi n. 89 et ectypi n. 90 discrepant. Sic aquila cum corona et vagina gladii in hac (n. 90) cernuntur, desunt in illa (n. 89), in hac (n. 90) imberbis, in illa (n. 89) barbatus Dolichenus fictus est. Ceterum aliquid certi hac de re statuere arduum erit, nisi ipsam maginem ectypi n. 91 in schedis Ligorianis (Taurinensibus 7 s. v. Dolichene) consulueris.

92. C. I. L. VI, 5,423*, Seidl 65 (Ligoriana).
,,A Monte cavallo nella vigna delli signori Carrafa." (Ligorius, Neap. l. 34 pg. 17; Vatic. 3439 f. 135).

Iovi optimo maximo | Dolicheno, ubi ferrum nascitur[1]) | C. Sempronius Rectus | cent(urio)[2]) 7 frumentarius d.d.

[1]) ,,Ubi ferrum nascitur." Iam inscriptione n. 60 hanc saltem partem genuinam esse probatur. — [2]) ,,cent." ante compendium 7 supervacaneum est.

Italia.

(Regio X).

93. Villa Nova prope Concordiam.
C. I. L. V 1870, Hettner 56.
Tabella aerea litteris minutis scripta.

I. o. p.[1]) m. | Dolichino | pro salute imp. | Commodi Aug. | Pii Fel(icis) Val(erius) Maxi|mus ceniurio (sic) leg. | IIII Flav(iae) et pro suis | ex viso FHCID[2]).

[1]) Quamquam o et p in lapide puncto dirimuntur tamen ad unum vocabulum ,,op(timo)" pertinent. Inter epitheta enim Iovis ,,optimus maximus" nusquam tertium intercalari iure observavit Hettner solentque quadratarii puncta ornandi tantum gratia incidere; cfr. Cagnat o. c. 3e ed. pg. 29. — [2]) ,,FHCID" pro ,,fecid" adhibita η pro e et d pro t, cfr. C. I. L. III 58." (Hettner). Cfr. etiam Notizie degli Scavi 1895, pg. 351 n. 4.

,,Hoc aes inscriptum esse intra annos 185-192 testatur Commodi agnomen ,,Felix."" (Hettner).

94. Atria.
C. I. L. V 2313, Seidl 16, Hettner 57.
Aerea tabella ansata. Extat Veronae in museo philharmonico.

Pro salute | imp. Caesaeris (sic) | M. Aureli Seve|ri Alexsandri | Pii Felicis Aug(usti) | Iovi optimo maximo Doliceno.

,,A sinistris iuxta inscriptionem palma ficta est." (Hettner).
Titulus intra annos 222-235 incisus est.

95. Brixia.
C. I. L. V 4242, Seidl 32, Hettner 58.
Extat in museo.

I. o. m. D. | ex iussu eius | M. Pub(licius?) Clodianus | candid(atus) | neq(uis) in hac ara | SETATVSACRITVLI/|[1]).

[1]) ,,Sic omnino; lectio plane certa excepta paenultima littera." (Mommsen). Hettner solvit: ,,setatu(m) (= porcum) sacri[f(icare)] v[e]li[t]" quibusdam locis scriptorum et titulo C. I. L. III 3955 allatis, unde deis Syriacis porcos sacrificari vetitum esse patet; nescio an recte.

(Regio II).

96. Aecae.
C. I. L. IX 948, Seidl 10, Hettner 64.
Ex ms. Lombardi.

Iovi [D]o[l]ic[heno][1]) | exuperantiss[imo] | L. Mummius[2]) Nig[er] | Quintus Valeriu[s] | V[e]g[et]us[3]) Severin[us] | Caucidius[4]) Tertul[lus] | co(n)s(ul) v. s.

[1]) ,,,,Iovi POICNII" traditur. — [2]) ,,L. Munatius Nig." exemplum; sed quod in iisdem schedis alibi scriptum repperi ,,L. Mummius Nig.", idem versus est melius descriptus. — [3]) ,,Vignus" traditur; emendavit Borghesius." (Mommsen). — [4]) ,,C. Aucidius" traditur; vide infra.

Hettner — [2]) ,,Munatius" et — [3]) ,,Vignus" servat iniuria, ut videbimus, rectissime tamen negans, quod Borghesi asseverat, Oeuvres 5, 242, lapidem nostrum positum esse a consule suffecto anni 91, cuius signa tantum ,,Q. Valerius Vegetus" fuerint. Est autem, ut Dessau, Prosop. imp. Rom. II M, 515 probabiliter statuit, eiusdem nepos, qui titulum nostrum Dolicheno obtulit, et in tit. Viterbiensi C. I. L. IX 3003 ,,Mummius Niger Valerius Vegetus consularis" vocatur. Secundum Dessavium Severini (v. 5) cognomen traxit a Cornelia Severina matre Q. Valerii Vegeti consulis anni 91 (cfr. tit. Illiberritanus C. I. L. II 2074) atque parentela aliqua coniunctus erat cum Appia Annia Regilla *Caucidia Tertulla* Herodis Attici uxore et P. Vigellio Raio Plario Saturnino Atilio Braduano *Caucidio Tertullo* (cfr. tit. C. I. L. III 6183), proconsule Africae anno 180; in versu 6 itaque cum Dessavio ,,Caucidius" correxi.

Fuit homo noster consul suffectus anno incerto.

(Regio IV).

97. Histonium.
C. I. L. IX 2836, Seidl 21, Hettner 63.
Columna dimidiata.

I. o. m. Dol. | pr(o) s(alute) impp(eratorum) | sacrum.

(Regio I).

98. Misenum, (98, 99?).
C. I. L. X 1575.

Iussu I. o. m. D.[1] | P. Cossutio . . [f] | P. n(epoti) Amat[o] | Ieroto | [s]acerdo . . . . . | ////////////// | .

[1]) Utrum hic titulus „I. o. m. D(olicheno)" an „D(amasceno)" (sic Mommsen, Indices C. I. L. X pg. 1133) datus sit, dubitari potest. „Iussu Iovis optimi maximi Damasceni" inscriptio Misenensis C. I. L. X 1576 posita est, ampla sane atque magni momenti, cum ex ea Miseni sacerdotio Iovis Damasceni homines illustres functos esse perpicuum sit. Sed qui sequitur titulus n. 99, pariter Miseno (nisi animus me egregie fallit) tribuendum esse mox videbimus, ubi igitur utriusque dei cultus una inscriptione teste florebat. Neque profecto neglegendum arbitror tit. n. 67 et fortasse n. 110 quoque a militibus classis praetoriae Misenensis Dolicheno dedicatos esse.

99. Misenum.
C. I. L. X 1577.
„Saxius ms. ab Aegyptio opinor." (Mommsen).

Iulius.
Sub sacerdote Antipatro I. o. m. Dol.
Iuliu s. Anthiocu s. Filia P. I. Arg. D. D.
Antoniu s. Domitionu s. Filia P. I. Arg. D. D.
Iuliu s. Ianuariu s. Filia P. IS. Arg. D. D.
Antoniu s. Valen s. Filia P. I. Arg. D. D.

Prior huius tituli pars interiisse videtur. Finem versuum 3, 4, 5, 6 „p(ondo) (quod) arg(entum) d(onum) d(edit)" vel tale quid expediendum esse censeo.

„Filia" (vv. 3, 4, 5, 6) an corruptum sit, nescio. Nam etsi fieri potest, ut nomina filiarum [illegible] omissa sint, tamen asyndeton in quattuor his versibus vix ferendum arbitror. Coniectura si uti licet, qui lapidem descripsit sive Saxius sive Aegyptius „C'ILIX" (= Cilix) pro „FILIA" vel „FILI.." (= Filia) habuit. Nempe Cilices in classe

Misenensi non pauci stipendia merebant, quandoquidem Cilices vel Cilicissae in non minus 12 titulis Misenensibus memorantur*), atque (quo potissimum fretus emendationem meam proposui) inter eos „Iulius Antiochus . . . . . natione Cilix" (C. I. L. X 3424), quocum conferatur „Iulius Anthiocus" (procul dubio male scriptum pro „Antiochus") inscriptionis nostrae v. 3. Neque erraveris si „C. Iulium Ianuarium" (cfr. v. 5 inscriptionis nostrae), qui dedicavit tit. C. I. L. X 3454 „D(is) M(anibus) M. Servili Iasonis . . . . nat. Cilix . . . . . . tutor . . . . fil(ii) et heredis (= heres) eius", ipsum quoque Cilicia oriundum esse credas. Dolichenum autem a coetu Cilicum — quorum terra dei patriae finitima erat — cultum esse etiam analogia confirmatur, quam praebent „cultores Iovis Heliopolitani Berytenses, qui Puteolis consistunt" (C. I. L. X 1639) et „qui in cultu corporis Heliopolitanorum sunt eruntve" in titulo Puteolano C. I. L. X 1579.

Unum est fortasse, quod iure in lapide a me emendato reprehendas, sc. „Cilix" solum nudumque positum neque sive „natione" sive „nat" sive „n", ut assolet in titulis a classiariis positis, cfr. Th. Mommsen, Hermes 1884 pg. 34, praemissum esse. At in titulis ipsis Misenensibus duos repperi C. I. L. X 3553 et 3635, ubi pariter hae litterae omissae sunt, quibus, si diligentius perscrutabere, alii accessuri sint [illegible] dubito.

De origine lapidis nihil nisi olim Neapoli visum et descriptum esse, comperimus. Est tamen Miseno reddendus, si ea quae praecedunt, [illegible] disputata sunt.

100. Tarracina.
C. I. L. X 6304.
„Giovenazzi cod. Vat. 9144 f. 50, 52." (Mommsen).

. . . . n. n. | Augg. sacr(um) | Marcus Bar|semias sacerdos | Dolicheni | posuit.

Initium inscriptionis deest, quod supplevit Mommsen „Iovi Dolicheno | conservatori d. d."

Infra vitula sculpta est.

(Sardinia).

101. Turris Libisonis.
C. I. L. X 7949.

*) Ad Misenum etiam tit. Puteolanus C. I. L. X [illegible] origine referendus est, qui ad Cilicissam pertinet, [illegible].

Titulus litteris minutis scriptus; extat Cagliari in museo.

Iovi sa NC · DOL · V C t. pro
vi CT · DOM · NN
Anto N INI · ET · GET ae
· RAV · 1) GEN
HIS · ARR
ORVS · C
IVS · V
INM

vv. 1, 2, 3 expleverunt Mommsen, Bormann. — 1) Spectat ad classem Ravennatem, cfr. n. 102.

Titulus est anni 211 aut 212.

(Regio VIII).

102. Ravenna, (102, 103).

C. I. L. XI 2*, Seidl 63 (Ligoriana).

Iovi optimo maximo | Dolicheno sacrum | C. Ceranius C. f. Callystus | praefectus class. Ravenn. | praefectus colleg(ii) dendr(ophororum) | et centonar(iorum) IIII vir | quinquen(nalis).

Titulus, quamquam a Ligorio traditur, nihil habet, quod offendat. Nomen tamen ,,Ceranius'' (v. 3) alibi non legi Hettner asseverat pg. 26.

103. Ravenna.

C. I. L. XI 2, Seidl 33, Hettner 60.

Cippus marmoreus, in cuius margine superiore foramen quadratum et forma paterae; extat in museo archiepiscopi.

Pro sal(ute) Augg(ustorum) | ex iuss(u) I. o. m. D. con(servatoris) | M. Caes(ius) Chresim(us) | Aug(ustalis) Raven(nae) | cum | Saccidia Felicitate | coniuge et | Caesia Chresime | filia.

104. Ariminum, (104, 105).

Notizie degli Scavi 1897 pg. 506.

,,Nella cantina o grotta vinaria di un casa edificata in parte sopra avanzi di considerevole costruzioni di eta romana, oggi appartenente alla Signora Artemisia Guerrieri in Pugliesi e posta in via Giordano Bruno, scavandosi per le fondamenta di un arcovolto a sostegno del sovrastante edifizio, si rinvenne alla profonditá di m. 1,20 dal livello

della grotta e a circa m. 2,50 dal piano stradale moderno un elegante cippo di marmo bianco, di forma rettangulare alto m. 1,03, largo m. 0,43 con base scorniciata e cornice superiore decorate di antefisse. Nella fronte é incisa in buoni caratteri l'epigrafe:

Iovi o. m. | Dolicheno | pro salute | T. Flavi Viatoris | fili sui | T. Flavius | Amarantus | v. s. l. m. | sub G. Iulio Flacco | sacerdot(e).

Le ultime due righe, incise con diversi et piu rozzi caratteri, sembrano essere state aggiunte da altra mano. Trovandosi in Rimini il ch. comm. G. F. Gamurrini e essendo da me stato condotto sul luogo della scoperta esortó vivamente la proprietaria della casa di scutare altre ricerche e queste furono coronate da felice risultato, poiché a poca distanza si rinvenne un secondo cippo di simile forma e pure di marmo bianco di identiche proporzioni recante incisa l'epigrafe in lettere però meno buone:

105. I. o. m. | Dolicheno | T. Flavius | Galata | Eutyches | pro salute | Amaranti | lib(erti) sui | v. s. l. m. | sub C. Iulio Flacco | sacerdot(e).

Non sembra da mettere in dubbio, che qui, o poco lungi, sorgesse un sacello dedicato a Giove Dolicheno. Il terreno nel quale furono rinvenuti i cippi era di riempimento e composto di rottami di vasi e di ossa di animali e sotto eravi del terreno acquitrinoso.'' (G. Tonnini).

106. Caesena.

C. I. L. XI 554, Marini, Atti e Monumenti dei Fratelli Arvali II pg. 539 (imaginem sumpsit ex codice Marcanovae collegii Romani; extat etiam in eiusdem cod. Mut. f. 94) ex quo pendent Braun, Jupiter Dolichenus tab. n. II et Seidl tab. IV fig. 1, Hettner 61.

Periit.

Tauro cingula lata ornato dextrorsum verso Dolichenus imberbis thorace indutus insistens sinistra fulmen tenet, dextra elevata, quod videtur baculum esse in imaginibus quidem supra laudatis, a Bormanno vero, qui ipse Marcanovae schedas excussit, ,,aliquid bipenni simile'' appellatur (C. I. L. XI 554). Gerit in capite coronam, qualem supra sub n. 89 descripsimus. In angulo dextro superiore ectypi genius advolat, dextra deo coronam floream impositurus, sinistra palmam — sic Bormann, periit in imaginibus laudatis — gerens. In angulo sinistro superiore aquila alis explicatis, unguibus sive sceptrum sive fulmen — sic Bormann — amplexa deum respicit.

Supra ectypum scriptum est:

I. o. m. D.

Infra ectypum:

L. Aurelius Valerius sacerd(os) p(osuit).

Imaginem secundum ectypum genuinum delineatam esse, certissimum duco. Sed pars superior lapidis adesa nec satis distinctis lineis expressa fuisse videtur. Quippe thorax dei pectus protegens, tegiminibus aëneis bracchii continuatus, armaturae saeculi XV est. Genius quoque qui Dolicheno coronam porrigit, veste ecclesiastica vestitus angelo similior est quam Victoriae in nonnullis Dolicheni donariis conspicuae. Pictorem igitur vestigiis, quae adhuc in lapide apparebant, usum reliqua pro eorum temporum ratione, quibus vivebat, finxisse puta. Fortasse etiam ectypum *integrum*, ut solebant huius aetatis homines, neglegentius reddidit.

107. Bononiae in vicinia.

C. I. L. XI 696, Seidl 20, Hettner 59.

Tabula marmorea reperta super sepulcrum antiquum lateribus confectum, unde clavi ferrei et vascula fictilia in lucem prodierunt. Iuxta nummus in honorem Antonini Pii cusus effossus est. Extat lapis in museo publico.

I. o. m. Dol. | Q. Poblicius Modestinus | [VI vi]r et Claud(ialis) cenatorium p(ecunia) s(ua) f(ecit) | [l(oco)] d(ato) d(ecurionum) d(ecreto).

,,Primus versus est in plano depresso, tamquam aliquid erasum sit.'' (Bormann).

(Latiu̸m antiquum).

108. Tusculum.

C. I. L. XIV 191*, Seidl 67 (Ligoriana).

,,Frascatae in agro Tusculano in ara admodum detrita.'' (Smetius XVIII-10).

Iovi optimo maxim(o) | Dolicheno s(acrum) | T. Flavius Tt(itorum) l(ibertus) Argaeus | ar(am) u(ti) v(overat) d(e)d(icavit).

,,Hoc à Pyrrho Logoro (= Ligorio) accepi.'' (Smetius).

109. Portus.

C. I. L. XIV 22, Hettner 62, Wilmanns 76.

Tabula marmorea. Olim in Portu in praediis Pallaviciniis mox Torlonianis, nunc Romae in museo Torloniae.

Iovi Dolicheno | pro salute imp. | L. Aeli Aureli[1]) | Comodi [2]) Pii | Felicis[1]) Aug. n(ostri) | L. Rubrius Maximus | praef(ectus) eq(uitum) alae Hisp(anorum) | s. votum solvi [1]).

[1]) ,,L. Aelius Aurelius'', haec nomina Commodus gerebat, cum a patre in regni societatem ascitus est anno 176, et denuo ab anno 191 usque ad mortem; agnomina ,,Pius'' anno 183 et ,,Felix'' anno 185 accepit, cfr. R. Cagnat o. c. pg. 193. Lapis igitur anno 191 aut 192 positus est. — [2]) ,,,,Comodi'' in litura restitutum est, item v. 8 totus. Ante eum versum in margine intuenti sinistro ex scriptura priore superest littera ,,s.'''' (Dessau).

110. Ostia.

C. I. L. XIV 110.

Tabula marmorea; in episcopio Portuensi.

```
                 |e imp. Caes. Com.
[modo Antonino]  |Pio Felice sacr. qu. (sic)
             [I] |  Dulic. milit. cl.
                 |sent Ostia sub
                 \ ti Justi tr. VII id.²)
           [Com] |modo Aug. V cos.        anno 186
                 |TR¹) Prisco
```

[1]) ,,Secundam litteram expressi qualis est in marmore; sed non constitit mihi utrum quadratarius voluerit facere R ex E, quam primum posuerat an E ex R; an voluerit dare R et E ligatas.

[Adnuent]e imp. Caes. Com[modo Antonino] Pio Felice sacr(um) qu[od voverant I(ovi) o(ptimo)] m(aximo) Dulic(eno) milit(es) cl(assis) [pr(aetoriae) Mis(enatis) cum es] sent Ostia sub [cura] . . . . . ti Iusti tr(ierarchi) VII id . . . . . [Com]modo Aug. V cos. [curam agente] Ter(entio?) Prisco.

Haec proposuit Mommsen, alia Garrucius.


[2]) ,,VII id.'' significari ,,diem VII idus Ianuarias'', qui dies saeculo tertio et fortasse antea quoque (C. I. L. III pg. [illegible]; VI n. [illegible]) solemnis fuit missioni veteranorum militiae urbanae, et hic quoque agi de militibus missis honesta missione [illegible] Bormannus.'' (Dessau).

111. Tibur.

C. I. L. XIV [illegible], cfr. Eph. ep. IV [illegible].


Fragmenta duo tabulae marmoreae [illegible] Tibure [illegible]

in pavimento operis musivi ecclesiae S. Mariae del Carmine (olim S. Petri), fortasse originis urbanae.



[Mi]
1)

2)



1) Versus 2, 3, 4 solvendi sunt: ,,So[li] . . . . . | invicto [Mi] | thre salu[tari?] — 2) Equidem nescio utrum cum Mommseno ,,[sacer]dotio auc[tus]'' an cum Henzeno ,,Dolic(heno) (melius fortasse Dolic(eno)) Aug(usto)'' (cfr. n. 123) explicante faciam. F. Cumont o. c. II tit. 143 Dolichenum quidem numquam in titulis Mithriacis laudari contendit, sed deinde aliquanto confidentius se iudicasse concedit cfr. o. c. I. pg. 333 ann. 2. Idem vir doctus l. l. Dolichenum saepissime isdem in locis, quibus Mithram, cultum esse monet.

Britannia.

112. Isca.

C. I. L. VII 98, cfr. Eph. ep. IV pg. 197, Seidl 8, Hettner 44.

Ara; videtur periisse. Recentiores tradunt (C. I. L. VII 98):

α. Iovi o. m. DolichV . . . . . . | I . . ON . o Aemilianus | Calpurnius | Rufilianus . . . EC | Augustorum | monitu.

Vetustissimum exemplum extat in bibliotheca Bodleiana, Ashmolean mss. 826 f. 35 ita inscriptum: ,,at Caerleon an altarstone of 4 foote long and somewhat more, 3 foote broad and somewhat more; taken up 5 March 1653.'' (Eph. ep. IV pg. 197):

β. Iovi m. Dolich//V//// | FronI// o Aemilianus | Calpurnius | Rufilianus //FC// | Augustorum | monitu.

Cui lectioni tamen recentiorem anteponendam esse arbitror idque his de causis.

In versu 1 (*β*) inter ,,Iovi'' et ,,m.'' ,,o(ptimo)'' aegre desideratur et ,,V'' statim post ,,Dolich'' positum (sic *α*) melius ferri potest — ita, ut cum Hettnero ,,Dolich[yno et]'' supplendum sit, cfr. ,,Dolichino'' nn. 24, 93 — quam una littera separatum. Versus 2 (*α*) initium apte

,,I[un]on[i]'' expedias — ,,o post ,,Iunoni'' positum videtur foliolum hederaceum esse'' (Hettner) — sed, quid in *β* ,,FronI//'' significet, ambiguum. In versu 4 denique ,,Rufilianus . . . EC|'' (*α*) meliorem sensum praebet quam ,,Rufilianus //FC//'' (*β*). Nam in fine ,,leg(atus)'' vel simile quid requiritur, unde ,,Augustorum'' (v. 5) pendeat, quia vix quisquam invenietur, qui Seidelio ,,Augustorum monitu'' (v. 6) iungenti assentiatur. Vestigia autem in *β* lectionem ,,leg(atus)'' parum admittunt, cum, qualia *α* exhibet, quominus ita suppleantur, nihil obstet. Inter ,,Rufilianus'' et ,,[l]eg(atus)'' scriptumne fuit ,,v(ir) c(larissimus)?''

113. *Plumpton near Penrith.*

C. I. L. VII 316, Hettner 44.

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) I. o. m. D. | [templum] vetustate co[nlapsum] | Aurel[i]us At . . . | . . . .) IIII|////?

,,Finem Huebnerus probabiliter emendavit ,,c]o[h(ortis)] II [Gallorum restituit].'' Formula ,,In h. d. d.'' lapidem saeculo altero exeunte non priorem esse probatur.'' (Hettner).

114. *Gainford.*

C. I. L. VII 422, Hettner 46.

In latere dextro aquila sedet coronam lauream tenens.

I. o. m. | Dolychen[o] | [I]ul(ius) Valentin[us] | ord ceri sui1) | ex iussu ipsiu[s] | posuit pro se et | suis //// l. //// | [Pr]aesente et Torquato cos2).

1) Versum 4 non expedio. — 2) ,,Mihi hastae duae tantum apparent post nomen prius, quae aut ET esse possunt aut II; deinde TOR mihi videor clare legere, reliqua incerta sunt . . . . Consulum par, si recte legi, ignotum est.'' (Hübner).

(Vallum Hadriani),
(115, 116, 117, 118, 119).

115. Condercum.

C. I. L. VII 506, Seidl 12, Hettner 47.

Extat *Newcastle* in museo alta ped. 3, dig. 1, lata ped. 2, dig. 1. Litteris bonis.

I. o. [m. Dolic]he|no et numini[b]us | Aug(usti) pro salute imp. | Caesaris T. Aeli Hadr(iani) | Antonini Aug. Pii p(atris) p(atriae) | et leg(ionis) II Aug(ustae) | M. Liburnius Fron|to Ɔ (= centurio) leg. eiusdem | v. s. l. m.

Positus est titulus intra annos 139—161.

116. Cilurnum.
Eph. ep. VII 1016.
Fragmenta duo anno 1884 reperta; titulus 34 dig. altus, circa 40 dig. longus erat, litteris bonis saeculi tertii ineuntis.

I. o. [m.] Dol. | pro sal. [Au]gg. nn. | Gal. Ver.......

117. Aesica, (117, 118).
C. I. L. VII 725, Hettner 48.
Pars superior arae supra anaglyphis ornatae; servatur Dunelmi. Litterae videntur esse saeculi tertii.

urna (?) taurus (?)
currens
sinistrorsum.

[Jovi] O M D
SABINIFIL·
INA REGVLVs
DVIFI

Rectissime Hettner scribit: ,,Quod in omnibus monumentis taurus visitur dextrorsum versus, bestiam, quam vidit Huebnerus, non credo taurum fuisse, sed cervam [vel potius vaccam, cfr. n. 63] in qua Iuno Iovi obversa stare solet. Urna, quae vocatur, videtur fuisse arula stetisseque inter deos. Inscriptione quoque probatur multum deesse in sinistra tituli parte.'' Quae cum reputemus atque titulum sequentem n. 118 ibidem repertum esse, hoc monumentum Dolicheno consecratum fuisse credere oportet, licet inscriptio quomodo expleatur, admodum incertum sit. Quas ea de re Huebner et Hettner proposuerunt meras coniecturas, exscribere longum est.

118. Aesica.
Archaeologia Aeliana 1897 pg. 271, R. Cagnat, L'année épigraphique 1898 n. 25.

I. o. m. | Doliceno Lu|cius Maxim|ius Gaetulic|us 7 leg. XX V(aleriae) V(ictricis) | v. [s. l.] m.

119. Magnae.
C. I. L. VII 753, Seidl 36, Hettner 49.
Arae pars esse videtur.

I O M Ɔ
H . . . . . .

,,Ad Dolichenum lapidem referendum esse, cum Magnis [ubi diu, certe ab anno 124, meruit cohors I Hammiorum sagittariorum, cfr. Hettner pg. 15] aliquot Syriacorum deorum tituli eruti sint, Seidelius bene animadvertit, sed litteram H nego ab illo recte explicatam esse: ,,Heliupolitano.'' Ne commemorem nos prorsus ignorare, num Pannoniis exceptis Dolichenus Heliupolitanus usquam cultus sit, illa explicatio, ni fallor, refutatur tituli scriptura. Nam cum Dolichenus notatus sit littera una, Heliupolitanum quoque puto item scriptum fuisse. Sed si ita esset, in una illas litteras lineola incidisset lapicida.'' (Hettner). Eundem secutus simili de causa tit. C. I. L. VII 956 exclusi.

120. *Bewcastle.*
C. I. L. VII 976, Hettner 50.
Pars superior arae.

I. o. m. | Dolicheno | templum a so[lo] | pro s[al.] | ///?

121. Habitancium.
C. I. L. VII 991, Seidl 15, Hettner 51.

[I. o. m.] | Dolocheno | C. Iul(ius) Publ.[1] | Pius trib(unus) | v. s. l. m.

[1]) ,,Publ'' utrum ,,Publ(ilia)'' an ,,Publ(ilius)'' an ,,Publ(ius)'' solvendum sit, parum constat. Idem vir tit. C. I. L. VII 922 Marti Victori obtulit.

(Caledonia).

122. *Birrens.*
Proceedings of the Society of Antiquaries of Scotland 1895-1896 pg. 121 seqq., R. Cagnat, L'année épigraphique 1897 n. 58.

[I. o. m.] | Dol[iche]|no sacr(um) | Magun|na[1]) v. s.

[1]) Nominis certe non usu triti tamen invenitur forma masculina C. I. L. V 4155 ,,M. Maeclius Magunus.'' De usu variato consonantis duplicis et simplicis in eodem vocabulo cfr. Lindsay, The Latin Language pg. 113 § 130 seqq. et praesertim pg. 118 § 132, ubi ,,mercen(n)arius, in(n)uleus, Vin(n)ius'' citantur. Addi potest ,,Leman(n)us.''

Numidia.

Omnia huius provinciae Dolicheni donaria effossa sunt in castris Lambaesitanis legionis III Augustae. Ibi nostro templum sacratum fuit, cuius fundamenta etiam tum conspicua sunt ante vallum castrorum, quod est inter meridiem et orientem, ± m. 150 a porta Decumana,

cfr. C. I. L. VIII Suppl. II 18221 (n. 128), in ipso angulo, qui formatur vallo supra indicato et muro posteriore carceris, qui vocatur „Maison centrale de Détention'', cfr. Ichnographia apud R. Cagnat, L'armée Romaine d'Afrique pg. 521. Idem v. d. o. c. pg. 422, ann. 2, quaecumque Dolicheni monumenta Lambaesi in lucem prodierunt, ibi reperta esse asseverat, quod sane veri est simillimum, quamquam nonnullorum origo ignota est (ut n. 126), aut aliunde oriunda feruntur (ut n. 127 „in foro'').

Aedem ipsam intra annos 130—133 conditam esse tit. n. 128 declarat, cui rei bene congruit, quod scribit Cagnat o. c. pg. 422 ann. 2 „Les substructions mises au jour récemment indiquent une édifice d'une belle époque.''

Inscriptiones, in quibus „leg. III'' prius erasum, postea restitutum invenitur, omnes ante legionem a Gordiano III exauctoratam anno 238 positas esse puta; quae semel tantum scriptum exhibent, postquam a Valeriano anno 253 restituta est.

123. Lambaesis, (123, 124, 125, 126, 127, 128, 129, 130, 131).
C. I. L. VIII 2622, Hettner 54.
Lapis altus m. 0,59, latus m. 1,00, servatur in praetorio.

Iovi Dolicheno Aug(usto) | L. Septimius L. f. Fab(ia) Maximus | tribunus leg. III Aug(ustae) suo nomine et | L. Septimi Marcelli trib(uni) leg. eiusd(em) patris sui | cum Lurcia Putiolana uxore et | L. S[epti]m[io M]aximo Fab(ia) Magno filio v. s. l. l. m.

124. C. I. L. VIII 2623, cfr. Suppl. II 18097, Hettner 52.
Ara hodie fracta nunc in praetorio servatur, alta m. 0,40, lata m. 0,20.

I. o. m. | Dolicheno | Ti. Memmius | T. f. Palatina | Ulpianus Roma | praef(ectus) coh. II [c(ivium) R(omanorum) | e]1)q(uitatae) P(iae) F(idelis) trib(unus) mil(itum) leg. | III Aug. cum Verati[a] | Athenaïde con[iu]|ge et Memmia Ma|erina filia v. s. l. m.

1) V. 6 extr. et v. 7 in. supplevit Johannes Schmidt ex titulo C. I. L. VIII Suppl. II 18217, qui ab eisdem personis — incertum an Dolicheno — positus est.

125. C. I. L. VIII 2624, Hettner 53.
Ara hodie in praetorio servatur, alta m. 0,70, lata m. 0,40.

I. o. m. Dolic. | Aesculapio | Ygiae cete|risq(ue) diis | immor-


t(alibus) T. Fl(avius) | Maximus1) ex 7 | praet(orianorum) p(rimus) p(ilus) praef(ectus) | leg. III2) Aug. Severi(anae)3) | cum Antonia Au|tonina coniu|ge v. s.

1) Eiusdem „T. Flavii Maximi'' mausoleum extat in via Lambaesi Dianam ducente cfr. C. I. L. VIII 2764. Hic „leg. III'' non in litura repositum esse, ut in inscriptione nostra, parum curo, cum in titulis sepulcralibus hae litterae nusquam deletae fuisse videantur. — 2) „leg. III'' prius erasum, postea restitutum. — 3) Cognomine „Severianae'', legioni dato, titulum inter annos 222—235 incisum esse perspicuum est.

126. C. I. L. VIII 2625, cfr. Suppl. II 18098, R. Cagnat, Le Musée de Lambèse tab. V n. I totum monumentum photographice reddidit, pg. 57 superficiem solam, pg. 55 seqq. tractavit. (Imago C. I. L. VIII 2625 expressa admodum inaccurate ficta est).

Monumentum originis incertae servatur in horto carceris.

Basis statuae Dolicheni hodie deperditae longa m. 0,58, lata m. 0,40, alta m. 0,10. In summo lapide formae plantarum dei adhuc conspicuae sunt. Inter plantas visuntur litterae et signa, quae — scaenographice (= perspectivisch) picta — adieci. Quo pacto litterae solvendae sint, apparet. De ceteris figuris Cagnat o. c. pg. 56—57 egit. Lineae tres undulatae in uno puncto sese decussantes procul dubio fulmen imitantur. Quid tamen linea perpendicularis (sit venia verbo) duos circulos in partes aequales dividens, sibi velit, equidem ignoro. Caduceum vel cum Cagnato clavam crederes, nisi haec instrumenta Dolicheno nusquam tribui compertum esset. Inter fulmen et insigne nuper descriptum duae palmae fictae sunt, quas in Dolicheni monumentis Victoriam gestantem videmus. In tabula vero n. 63 deus Dolicheni propinquus tres palmas prorsus eiusdem formae dextra tenet. Hemicyclio in parte posteriore lapidis luna indicatur, haec quoque in Dolicheni donariis solitum ornamentum, cfr. e. g. n. 58*b* et *a*; neve quattuor stellas mireris, comparentur ectypa nn. 28*a*, 82, 145*a*.



IO MD

Media anticae pars in sinum excavata est, cui litterae hae incisae sunt:

P · AEL · CL · COL · I
L · VOL · III · 1) AVG

Quas Wilmanns (C. I. L. VIII 2625) solvit:

„P. Ael(ius) Cl(emens?) Col(onia) I(ulia) | L(. . .) . . . . . (legione) III Aug(usta)'', Johannes Schmidt autem (C. I. L. VIII Suppl. II 18098): „Col(onia) I(. . . . .) | L(. . . . .) Vol(ubili)'' (est Volubile municipium Mauretaniae Tingitanae); neuter dilucide. — 1) $\overline{III}$ in litura repositum est.

Ab utraque parte sinus caput arietis sculptum est et iuxta caput dextrum, a dextris, sertum. Alterum sertum, quod a capite arietis sinistro pependisse probabile est, hodie periit.

Arietis caput iam semel in monumento Dolicheno oblato (n. 26) invenimus. Hic tamen fortasse ex ectypis Saturni Africani sacris — qui et ipse, ut Dolichenus, Baal quidam Semiticus est — sumpta sunt, in quibus, Lambaesitanis certe, aries semper dei hostia fictus est, cfr. R. Cagnat, Le musée de Lambèse pg. 53 et tab. IV nn. 7 et 9.

127. C. I. L. VIII Suppl. II 18220.

Ara ex lapide calcario alta m. 0,81, lata m. 0,43 in foro dicitur reperta esse; nunc in praetorio.

I. o. m. | Dolicheno.

128. C. I. L. VIII Suppl. II 18221.

In fragmentis tribus, *b* alto m. 0,50, lato 1,10, litt. 0,07; repertis *b* in ruderibus aedificii, quod templum Iovis Dolicheni fuisse apparet, m. 150 a porta castrorum, quae est inter meridiem et orientem; *a* et *c* parieti immissa sunt aedificii, quod est in hortis magnis carceris publici.

a.		*b.*	*c.*
pro s	alute	et incolum	itate
imp. Cae	s. Traia	Ni Hadriani Au	gusti
Sex. Juli	us Maio	R[1] legatus ipsius pr	o praetore
templ	um I. o. m. D	olicheno dedic	avit

[1]) „Sex. Iulius Maior" cfr. Prosop. imp. Rom. II I, n. 266. Legionis III Augustae legatum fuisse inter annos 130—133 probavit Henzen, Ann. (Schmidt C. I. L. VIII Suppl. II 18221 perperam „Bull.") dell' Inst. 1857 pg. 6 seqq.. Fuit consul suffectus anno incerto, legatus pro praetore Moesiae Inferioris anno 134.

129. C. I. L. VIII Suppl. II 18222.

Ara ante portam carceris collocata.

I. o. m. D. | M. Aurel(ius) Iustus | praef(ectus)[1]) leg. III[2]) | Aug. cum Cl(audia) | Maximilla[3]) | coniuge et | Aureliis Ma|ximina, Iusto, | Iustina, Ius|tiano, Maximi|no filis suisq(ue) | omnibus | v. s. l. m.

[1]) Praefecti legionis III Augustae primo Alexandro Severo imperatore creati esse videntur, cfr. C. I. L. VIII pg. XIX col. 2; titulus igitur inter annos 222—238 positus est. — [2]) „leg. III" prius erasum, postea restitutum. — [3]) „Cl. Maximilla, Tib. Cl. Maximi centurionis filia, redit in C. I. L. VIII 2843." (J. Schmidt).

130. C. I. L. VIII Suppl. II 18223.

Ara in Dolicheni templo reperta.

I. o. m. | Doliche[no] | Valerius | Rufus 7[1]) | leg. III Aug.[2]) | v. l. l. s.[3])

[1]) L. Valerii Rufi eiusdem legionis centurionis epitaphium C. I. L. VIII 2997 legimus, quem nostro devotum fuisse eo facilius probari existimo, quod Antiochia oriundus fuisse dicitur. — [2]) „leg. III" prius erasum, postea restitutum. — [3]) „An est in lapide v. l. a(nimo) s.?" (J. Schmidt).

In dextro arae latere bucranium sculptum est.

131. C. I. L. VIII Suppl. II 18224.

Ara in templo Dolicheni reperta.

I. o. m. Dol. | P. P.[1]) Flavi Studi|osi Sabinius | Ingenuus et | Aurelius Sed|atus sig(niferi)[2]) leg. | III Aug. agentes | cura(m) macelli | v. l. a. s. cum a|zutoribus[2]) suis.

[1]) De litteris „P.P." solvendis dissentiunt viri docti. R. Cagnat, Bull. arch. du com. des trav. hist. 1890 pg. 455 „p(ro) p(rovectu)" vel „p(ro) p(rincipatu), p(rimipilatu)" conicit, ut „Flavi Studiosi" casu genitivo positum sit. Quam explicationem J. Schmidt propter nimiam ambiguitatem respuens „P.P." = „P(ublii)" (pluraliter) legere mavult, ita ut titulus dicatus sit a duobus signiferis, utroque scilicet quinque nominibus praedito. Nam, quod Cagnat observavit signiferum legionis III Aug. alibi nullum inveniri plus duo nomina habentem — id tamen minus recte — „etsi" scribit Schmidt „in laterculis militaribus aliisque eius generis monumentis signiferi non nuncupantur plus duobus nominibus, inde non sequitur idem cadere in titulos, qualis hic est notae, ut ita dicam, civilis." Dum autem titulos sepulcrales Lambaesitanos excutio, qui, quantum scio, „notae civilis" sunt, in nullum signiferum incidi plus tria nomina habentem neque omnino credo homines tam humili loco natos nisi raro plura gessisse, qui mos apud honestiores tantum increbuisse videtur. Accedit, quod titulum Lambaesitanum C. I. L. VIII 2970 posuit „Q." quidam „Sabi[nius] Ingen(u)us si[g(nifer)] leg. III Aug.", quem Schmidt pro *cognato* „P. Flavii Studiosi Sabinii Ingenui" non haberet, nisi sua ipse sententia iam antea lucubrata coactus esset, cum magis expediat „Sabinium Ingenuum" tituli nostri et „Q. Sabinium Ingenuum" tituli C. I. L. VIII 2970, utrumque signiferum legionis III, unum et eundem virum putare. Domaszewskio quoque, in re militari auctori ante alios gravissimo, video lectionem Cagnati magis placuisse, nisi quod potius „p(ro) p(ro-

gressu)" probat (Die Rel. des röm. H. pg. 16 ann. 69). His igitur viris doctis assentior. Mommsen denique cum Schmidtio ,,Publii" legit, dubitat tamen, an quattuor dicantur signiferi. Sed cur, quaeso, primus et alter tribus nominibus, tertius autem et quartus duobus tantum, praenomine omisso, indicati essent? — [2]) Signiferos semper simul librarios fuisse et ,,azutores" (= adiutores) eodem munere functos esse von Domaszewski l. supra l. monet.

Gallia Narbonensis.

132. Massilia.

C. I. L. XII 403 (ubi vide de compluribus auctoribus). Monumentum tantum non integrum exhibet Spon, Miscellanea eruditae Antiquitatis pg. 79, ,,qui ipse ad prototypum delineavit", unde pendet Braun, Jupiter Dolichenus tab. n. I; imminutum Seidl tab. II (descripsit sub n. 2); neque postea iniuriam passum est, ut ex imagine apud S. Reinach, Répertoire de la Statuaire grecque et romaine II, 1, pg. 21, 2 colligas; Hettner 43. In monumento describendo imaginem Sponnianam ante oculos habui.

Monumentum marmoreum anno circiter 1648 in portu Massiliae repertum prostat hodie in museo Stuttgartiensi. Una cum nave, quae portabat, mari haustum fuisse non sine aliqua probabilitate coniecit Seidl, cum adhuc nullum Dolicheni donarium e terra Gallica in lucem prodierit *).

Dolichenus imberbis stat in tauro dextrorsum gradienti. Caput galea, corpus thorax tuetur capite Gorgoneo ornatus, quem ambit cinctorium. Manu dextra elevata fortasse bipennem tenuit, quae iam aetate Sponnii tota perierat. Manus sinistra posita est in figura, quae videtur lunae crescentis signum esse. Inter eam manum et latus dei capulus gladii conspicitur. Columna tergo affixa deum labare non sinit. Sub corpore tauri aquila sedet alis expansis.

In basi inscriptio haec sculpta est:

Deo Dolichenio | Oct(avius) Paternus ex iussu eius pro salute | sua et suorum.

Germania Inferior.

133. *Xanten.*

C(orpus) I(nscriptionum) R(henanarum) 204, Seidl 41, Hettner 40. Ara; periit.

---

*) Titulum C. I. L. XII 5721 ,,I. O. D. E. (?)", prope Antipolim repertum, nostro oblatum esse veri simile haud puto.

Hettner exemplum ineptissimum ab Hüpschio traditum mira sagacitate expedivit:

I. o. m. D. | [Po]mpon(ius) M(arci) f(ilius) | Ser(gia) Marc[i]an[us] | Carn(unto) primipil(us) | leg. XXX U(lpiae) V(ictricis) P(iae) F(idelis)[1]) | cum Fulvinia | Montana con iug(e) et fil(io) P[o]m(ponio) Marcian(o). MC | c IOI-I-Cc[2]).

[1]) Nomina honorifica ,,Pia Fidelis" legioni XXX a Septimio Severo anno 193 data sunt; cfr. Korresp(ondenz)bl(att) (der) W(est)d(eutsche) Z(eitschrift) 1895 n. 5 col. 87, ubi Schilling, Leipziger Studien 15-1 laudatur. — [2]) Haec elementa restituit Hettner ,,MO |[de]STO·IICOS" (fuit Modestus iterum consul anno 228) neque tamen aliquid certi attulisse sibi ipse conscius est. Equidem ut meliorem lectionem dare nequeo, ita in Hettneri explicatione non acquieverim, quia annus, quo lapides positi sunt, raro uno tantum consule indicatur — cfr. tamen n. 62 —, nisi idem imperator est; cfr. Bormann, Arch. epigr. Mitth. XVI (1893) pg. 212.

134. Colonia Agrippinensis.

A. Kisa, Korresp.bl. W. d. Z. 1895 n. 5 col. 85-86 seqq., R. Cagnat, L'année épigraphique 1895 pg. 86, Schultze und Steuernagel, Colonia Agrippinensis (Festschrift der XLIII Versammlung Deutscher Philologen und Schulmänner in Köln 25 Sept. 1895 pg. 115 seqq., Bonner Jahrbücher XCVIII (1895)).

Tabula ansata imminuta, ex lapide calcario Iurensi, lata (sine margine) m. 1, alta m. 0,54, reperta Kalendis Mais anni 1895 ,,an der Ecke der Elstergasse und der Ruhr." Dextra pars periit. Litterae pulchre affabreque sculptae sunt. Absumptus fuit lapis in aedificium posterioris antiquitatis.

I. o. m. Dolicheno pro salute impp. caess.
M. Aurelli Antonini Pii Aug. et P. Sept. Getae
Pii Aug. et Iuliae Augustae matris Augg. et castr.
L. Lucceius Martuius legatus Aug. pr. pr. prov.
Germaniae Infer. tem///plum vetustate col
labsum A[1] solo restituit curante [L. Valerio][1])
Prisco 7 leg. XXX V. V. P. F. Gentiano et Basso coss.

[1]) Praenomen et gentilicium centurionis exempli tantum gratia suppleta sunt.

A. Kisa hanc tabulam supra portam templi Dolicheni muro insertam fuisse affirmat et sacraria Iunonis Virtutis et Genii hastiferum contigua fuisse probat, quorum reliquiae eruderatae sunt iuxta ,,Justizgebäude."

Schultze et Steuernagel rudera, quae in ,,Mörsergasse'' supersunt, ad Dolicheni templum pertinere coniciunt. De horum locorum situ cfr. Ichnographia apud Schultze et Steuernagel tab. I. Lapis inscriptus est anno 211.

135. *Wichelshof* prope Bonnam.

Braun, Jupiter Dolichenus pg. 14, tab. n. III, Seidl, Nachtrag 73, fig. 2, Hettner 39.

Parva statua ahenea extat in museo antiquariorum Rhenanorum.

Dolichenus barbatus, loricatus, pileatus, sinistra fulmen tenet; bipennis, quam dextra elevata vibrasse videtur hodie periit. Gladio a latere dextro pendenti deus accinctus fuit, sed balteus tantum superest. ,,Deum in tauro stetisse ostendunt cardines, qui ex pedibus eminent.'' (Hettner).

S. Reinach, Rép. de la Stat. gr. et r. II, 1 pg. 16, 8 Martem potius hic figuratum esse censet: parum considerate, opinor, propter pileum et fulmen, quae hic deus numquam gestare solet.

136. Rigomagus.

C. I. R. 645, Braun, Jupiter Dolichenus pg. 4, Seidl 69, Hettner 38.

Cippus e lapide fabricatus, qui ,,Trachyt'' vocatur et caeditur in monte ,,Siebengebirge'', altus ± m. 0,865, latus ± m. 0,525. Egregie conservatus est et litterae pulchre accurateque incisae sunt. Extat Bonnae in museo regio.

In h(onorem) d(omus) d(ivinae) | Arcias Mari|nus sacerdo|s Dolicheni | donum dona|vit equitibus | c(o)hortis I F(laviae)[1] De|cio et Crato (= Grato) cos.

[1]) Braun o. c. pg. 7 cohortem I Flaviam Commagenorum intellegendam esse censet, fortasse recte.

Cum urna, cineres, carbones, lapis littera grandi ,,D'' = ,,D(is) [M(anibus)]?'' notatus eodem loco protracta sint, Braun pg. 7 Marinum equitibus sepulcretum dono dedisse concludit, sed monumentum huius generis ,,in honorem domus divinae'' oblatum esse, iure mireris. Igitur quamvis Hettnero teste ,,lapis multo minor sit, quam ut in eo sacrificari possit'' — quod quidem mensuris, dummodo a Braunio recte indicatae sint, refutatur — tamen nihil aliud Marinum nisi cippum ipsum dedicasse Seidelio assentior.

Est anni 250.

Germania Superior.

137. Mogontiacum.

C. I. R. 1022, Hettner 31.

Extat in museo Wisibadensi.

I. o. m. D. | Sintilli|us Ursulus | v. s. l. l. m.

138. *Saalburg*, (138, 139, 140).

C. I. R. 1426, Seidl 71, Hettner 37, cfr. Korresp.bl. W. d. Z. 1884 n. 9 col. 106 et W. d. Z. 1885 pg. 397, L. Jacobi, Das Römerkastell Saalburg (Homburg vor der Höhe 1897) pg. 278, n. 14 et tab. XXIV, 3.

Fragmentum arae ex lapide harenaceo longum m. 0,67, altum m. 0,43, repertum anno 1816, nunc in museo Homburgensi. Anno 1884 summa pars dextra, quae adhuc desiderabatur, ibidem effossa est. Huius ope latitudo totius lapidis effici potest, unde post versus 2, 3, 4 unam vel duas tantum litteras periisse apparet.

Omnia monumenta in castello ,,Saalburg'' vel prope reperta mox transferentur in ,,Reichs-Limes-Museum'', cuius lapidem primum posuit in ipso ,,Saalburg'', Guilielmus II Germaniae imperator a. d. V Id. Oct. 1900.

I. o. m. | Dolichen[o] | [T] ib. Cl(audius) Tib. filiu[s] | . . . . . Candidu[s][1]) | . . . . M / / / | ?

[1]) ,,Tib. Claudio Candido'' titulus Tarraconensis C. I. L. II 4414, anni circiter 180, positus est, ubi inter alia ,,procurator XX hereditatium per Gallias Lugdunensem et Belgicam et utramque Germaniam'' et ,,praepositus copiarum expeditionis Germanicae secundae'' appellatur. Sed num idem aram nostram dedicaverit, incertum.

139. *Saalburg.*

Korresp.bl. W. d. Z. 1884 n. 9 col. 106, W. d. Z. 1885 pg. 398, Jacobi o. c. pg. 279, n. 15.

Ara ex lapide harenaceo reperta in fonte ± m. 100 a parte orientali castelli sito, cfr. Jacobi o. c. tab. XIII-7 et pg. 159; alta m. 0,62, lata m. 0,41, iam in museo Homburgensi. In lateribus turibulum longo manubrio et urceus expressa sunt, in ara summa patera. Litteris bonis.

I. o. [m.] | Dolich[eno] | T. Fl(avius) Sil(vanus?) | corni[cul(arius)] | ////////////////////[1]) | v(otum) s(usceptum) s(olvit).

[1]) Fieri potest, ut spatium, quod tamquam detritum notavi, numquam inscriptum fuerit.

140. *Saalburg.*

Korresp.bl. W. d. Z. 1884 n. 9 col. 106, W. d. Z. 1885 pg. 398, Jacobi o. c. pg. 279 n. 16 et pg. 283 fig. 40 n. 12*a*, *b*.

Pars summa sinistra arae ex lapide harenaceo anno 1881 ibidem ac

superior n. 139 reperta; pars dextra anno 1894 effossa est. Conservantur in museo Homburgensi. Sunt praeterea partes posteriores duarum aquilarum, ex basalta sculptae, iuxta erutae, quae fortasse ad Dolicheni cultum pertinent.

I. [o. m.] | Do[lich]eno | .... A[1]) coh(ortis) | [II Rae]t(orum) R(omanorum) c(ivium)[2]) | ......?

[1]) An cum Jacobio o. c. pg. 279, n. 16 ,,m(iles)" legendum sit, dubium videtur. — [2]) Idem v. 4 supplevit l. l., recte, opinor. Cohors enim II civium Romanorum in ,,Saalburg" stativa habuit, cfr. Jacobi o. c. pg. 271 et 290, ann. 219.

141. *Heddernheim*, (141, 142, 143, 144, 145).

C. I. R. 1455, Seidl 18, J. Becker, Die Heddernheimer Votivhand (1861) tab. lithogr. et Drei Römische Votivhände (1862) tab. I lithogr., Hettner 32.

Manus dextra votiva iconica, ex aere fabricata, digitis et pollice apertis adorantis in modum. Becker femineam esse contendit; mihi non liquet. In prima palmae parte incisum est:

Iovi Doliceno | G. Iul(ius) Marinus[1]) | 7 Brittonum Gurvedens(ium) | d. d.

[1]) ,,G. Iulius Marinus", qui in titulo sepulcrali C. I. R. 1178 ,,a ra(tionibus) armatura(rum) leg(ionis) XIIII G(eminae) M(artiae) V(ictricis)" vocatur, non idem esse potest, ut Römer-Büchner, Nassauer Annalen IV, 2, pg. 351 et Seidl crediderunt. Quippe haec legio iam anno 92 Germaniam reliquit neque umquam in eam provinciam rediit; cfr. Bouché-Leclercq, Manuel des Institutions Romaines pg. 303. Dolichenum autem iam saeculo primo in Germania adoratum fuisse nego.

142. *Heddernheim.*

C. I. R. 1456, Seidl 48, Hettner 33.

Ara ex lapide harenaceo alta ± m. 0,63, lata ± m. 0,25, nunc Francofurti.

Deo Dol. | Atilius | Tertius | ex coh(orte) | II Aug(usta) q(uingenaria)[1]) | v. s(olvens) l. l. m. f(ecit).

[1]) ,,Cohors videtur esse Cyrenaïca, quam in Germania tetendisse docent diplomata IX et XXVII et titulus Rhenanus 1708." (Hettner).

143. *Heddernheim.*

C. I. R. 1457, Seidl 70, Hettner 34.

Cippus; extat in museo Wisibadensi.

[Iovi] Dol. | [I]u[b]entius[1]) | Hispanus | l. l. m.

[1]) ,,Ante priorem ,,V" nominis gentilicii unam tantum litteram stetisse tertiamque ,,D" aut ,,B" fuisse lapide collato Aug. Fresenius Wisibadensis confirmat. Coniectura igitur ,,Prudentius" refutata malim ,,Iubentius (cfr. Smetius LIIII [= C. I. L. VI 975] et CXLIX, 26) quam Pudentius (cfr. inscr. Nassov. p. 13) quod nomen nusquam legi." (Hettner).

144. *Heddernheim.*

Korresp.bl. W. d. Z. 1884 n. 3 col. 36, 37.

Tabella ansata ahenea litteris punctim scriptis. Medio lateri superiori hamulus affixus est, ita ut tabella suspendi possit.

I. o. m. | Dol. | Masias | Sequens | ex i(ussu) sol(vit).

145. *Heddernheim.*

a. Nassauer Annalen I 2 et 3 pg. 196, tab. VII 8*a* et *b*, inde Seidl, Nachtrag 72, fig. 1, Hettner 36.

b. et *c.*

Nassauer Annalen III 3 pg. 176 seqq. et IV 2 pg. 349 seqq. tab. I, Braun, Jupiter Dolichenus pg. 13 seqq. et tab., Seidl 4 et tab. III, fig. 3, Hettner 35.

Tria fragmenta pyramidis aheneae reperta in campo ,,Heidenfeld" prope duo spelaea Mithriaca, *a* anno 1826, *b* et *c* anno 1841. Asservantur hodie in museo Wisibadensi, Raum IV n. 85 (*a* et *b* scilicet); cfr. A. von Cohausen, Führer durch das Altertumsmuseum zu Wiesbaden pg. 236.

a. Pars superior laminae aheneae in forma pyramidis. Summum locum obtinet protome Serapidis. Sequuntur stellae duae. Infra protomae Lunae et Solis sculptae sunt et supra utriusque umerum dextrum flagellum. Sequitur stella tertia. Reliqua perierunt.

b. Lamina ahenea in forma pyramidis eiusdem moduli atque *a*, alta ± m. 0,47, lata ad basim ± m. 0,195, in ruderibus aedificii antiqui una cum cineribus, carbonibus, fragmentis vasculariis et latericiis reperta. Vides a summa pyramide incipiens primum protomen Solis, deinde Victoriam a dextra advolantem cum palma et corona, quam Dolicheno impositura est. Ipse deus barbatus, cruribus divaricatis insistit tauro dextrorsum gradienti. Gerit pileum (?) et thoracem, dextra elevata bipennem, sinistra fulmen. Balteo umero dextro iniecto gladius grandis dependet. In fronte tauri rosa (rosette) sculpta est. In loculo inferiore dea in cerva vel caprea stat dextrorsum procedente. Caput tegit diadema altum, quod ex corona murali Cybeles et pennis, Isidis ornamento, cfr. Lafaye, Histoire du culte des divinités d'Alexandrie

pg. 253 et pg. 278 n. 52, S. Reinach, Rep. de la Stat. gr. et r. II 2, pg. 422, 4 et 5, compositum esse videtur. Dextra tenet sistrum, sinistra sceptrum. Ab utraque parte dei ficti sunt, loricati, pube tenus ex basibus ex orbibus constructis extantes. Utraque manu elevata gestant nescio quid, flori simile, e ternis quidque foliis compositum. Deus dexter portat in capite protomen Solis, sinister Lunae.

Infra lamina in regulam latam ± m. 0,02 desinit quae ad pyramidem basi aptandam utilis fuit. Tabella nostra sicut fragmentum *a* pone ,,mit einer prismatischen, nach oben sich verjüngenden Leiste'' consolidata est.

c. Parva statua ahenea Victoriae, quae una cum tabella *b* reperta esse dicitur; sine dubio in summa pyramide posita fuit, quem ad modum in pyramide Lussoniensi n. 28 vidimus.

146. *Köngen.*

Korresp.bl. W. d. Z. 1882 n. 11 pg. 69, Haug und Sixt, Die römischen Inschriften und Bildwerke Württembergs II pg. 142 seqq. n. 186.

Lapis repertus anno 1783; periit. Exemplar anno 1882 Stuttgartiae in tabulario statistico-topographico denuo in lucem prodiit.

[I.] o. m. | D[olich]eno | M(arcus) [Be]l[li?]ciu[s][1]) | Mate[rn]us | b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) | ex iussu | posuit[2]) l. l. m. | [kal.?] Iul(iis) | . . . . no | . . . . | [cos.].

[1]) Sic Haug et Sixt; potest etiam suppleri ,,[A]l[i]cius'', cfr. C. I. L. V 5167. — [2]) ,,Ex iussu posuit''; haec vocabula iam antea nota erant et edita C. I. R. 1580.

147. *Pforzheim.*

C. I. R. 1688, Seidl 6, Hettner 29.

Periit.

I. o. m. | Doligeno (= Doliceno) L. Verat(ius) | Paternus m(iles) | leg. VI[II] Aug(ustae) | s. l. m.

148. *Obernburg.*

Conrady, W. d. Z. 1890 pg. 165 seqq..

Ara ex lapide calcario alta m. 1,02, lata ad basim m. 0,60. In latere sinistro fulmen sculptum est, in latere dextro capricornus detritus. De hoc animali, legionis XXII signo, cfr. A. Kisa, Bonner Jahrbücher 1896 pg. 30 seqq.. Pars posterior arae impolita mansit.

Iu. h. d. d. I. o. m. | Dolicheno s(acrum) | vexil(latio) leg. XXII | Pr(imigeniae) P(iae) F(idelis) agentium | in ligna-

ri(i)s[1]) | sub principp(alibus) T. | Volusenio | Sabino et T. Ho|noratio De|ntilliano cos. | Apro et Max(imo).

[1]) Cum Fleckeisenio ,,lignariis'' a ,,lignarium'' = ,,ligni horreum'' non a ,,lignarius'' formatum esse existimo, cfr. W. d. Z. 1890 pg. 169 ann. 2.

Titulus est anni 207.

149. *Stockstadt.*

C. I. R. 1752, Seidl 5, Hettner 30, cfr. Conrady, W. d. Z. 1886 pg. 346 seqq., ubi pg. 349 accuratius exemplum exhibetur.

Ara ex lapide calcario alta ± m. 1,10, lata ± m. 0,63, quam, etsi Aschaffenburgi reperta sit, tamen castello prope *Stockstadt* tribuendam esse Conrady pg. 351 probavit. ,,Laterum ornamenta expressit Heffner, Das Römische Baiern tab. IV fig. 9.'' (Hettner). Vides lateri dextro insculpta arborem pomiferam, scutum, fulmen, lateri sinistro duo cornua copiae decussata, quorum ex ore nux pinea eminet. Inter ea tertia nux pinea et speculum rotundum manubriatum conspicua sunt. Servatur monumentum Aschaffenburgi in museo publico.

I. o. m. | Dolicheno in ho|norem d(omus) d(ivinae) P. Ferrasi|us Cl(audia) Avitus[1]) Savari|a 7 leg. VIII Aug(ustae) P(iae) F(idelis) Co(mmodianae) | ex aquilifero leg. | I Adiutricis pro se | et suis v. s. l. l. m. | Aproniano | et Bradua cos.

[1]) Idem vir redit in ara prope *Stockstadt* effossa, cfr. Conrady pg. 346 seqq..

Titulus est anni 191.

150. C. I. R. 1997, Bonner Jahrbücher XXXV (1863) pg. 31 seqq. et tab. lithogr. I 1, Hettner 41.

Tabula argentea mutilata, nunc lata m. 0,069, alta m. 0,126, ,,quae dicitur Regiomontio Berolinum, Regiomontium e terris Rhenanis venisse; nunc Berolini in museo.'' (Hettner). In aedicula cuius fastigium coronam lauream lemniscatam continet, stat Dolichenus Iovi Romano similis sinistrorsum versus. Amiculum, quo summa crura velantur, umero sinistro iniectum est; reliqua membra nuda sunt. Deus dextra tenet fulmen, sinistra sceptro nititur, infra in cuspidem desinente. Sub aedicula haec inscriptio legitur in tabella ansata litteris punctim scriptis:

I. o. m. Doli|cheno An|tonius Pro|clus 7 (= centuria) Ger|mani v. s. | l. l. m.

„Brambachius (C. I. R. 1997) monumentum pro spurio habet addens: „huiusmodi monumentis diffidendum est." Sed F. de Duhnius, qui Berolini tabulam cum aliis viris doctis accuratissime inspexit, artis rationem dicit nihil praebere, cur de sinceritate dubitetur." (Hettner).

151. Bonner Jahrbücher XXXV (1863) pg. 31 seqq. et tab. lithogr. I 2, Hettner 42.

Tabula argentea eiusdem originis ac superior, nec tamen ita mutilata, lata m. 0,15, alta m. 0,113. Servatur Berolini in museo.

In aedicula stat Dolichenus deo supra (n. 150) descripto satis similis, nudus praeter amiculum, quod ex umero sinistro pendet. Ante pedes a sinistris aquila globo insidens deo rostro coronam lauream lemniscatam porrigit. A dextris et a sinistris aediculae bini clipei (medaillons) visuntur, in quibus Amores parmis hastisque armati figurati sunt. Bina foramina in marginibus superiore et inferiore laminam olim clavis affixam fuisse demonstrant.

Iovem Romanum, non Dolichenum, hic figuratum esse diceres, nisi deus eodem fere habitu in tabula superiore, quae eiusdem condicionis simul reperta esse traditur, disertis verbis „Dolichenus" appellaretur.

APPENDIX.

Moesia Inferior.

152. *Meidankiöi* prope *Isakcea* (Noviodunum).

Gr. G. Tocilesco, Fouilles et Recherches archéologiques en Roumanie, Bucarest 1900, pg. 205 seqq., n. 29, fig. 99.

Tabula marmorea; in tabella ansata scriptum est:

I. o. m. | Dolycheno pro | salutem imp(eratoris) d(omini) n(ostri) Pii | Felicis Aug(usti) S(e)veri Alexa<ndrus (sic) | Lugi>nus[1] Dometi(i) et Aquila | Barsemon et Flavius | Damas sacerdotes templum | a solo fecerunt.

[1] „S(e)veri Alexa" (litteris minoribus scriptum) in litura, „<ndrus | Lugi>" in margine lineae sunt, quod explicat Tocilescu: „A la ligne 3 [lege 4] on a martelé „Antonini" et gravé à la place „Severi Alexandrus;" puis on a rendu „nus" [v. 5] incohérent en gravant devant „Lugi."" Videtur autem vir doctus calami lapsu „Antonini" pro „Antoni", scripsisse (cum praesertim spatium in lapide erasum non plus sex litteras capiat), quod v. 5 ubi „—nus" continuatur. Itaque

primo lapis noster a duobus vel pluribus Dometiis, (fortasse patre cum filiis), aliis, imperatori Elagabalo oblatus fuit; post huius principis damnatam memoriam unus ex illis Dometiis, cui cognomen Luginus (= Lucinus) erat, nomina Alexandri Severi substituenda curavit. Hic Luginus litteras „Dometi" aut pro „Dometi(i filius)" vel „Dometi(us)" haberi voluit aut perperam in lapide reliquit pro „Dometius." Cognomen utique „Luginus" praenominis loco usurpari posse videtur, cfr. R. Cagnat, Cours d'Epigraphie Latine 3e ed. pg. 49, 50. „Dometius" denique minus recte pro „Domitius" positum esse coniecerim; I enim interdum per ê scribitur et frequentissime Latinum I in Graecis inscriptionibus per ε redditur, cfr. Lindsay, The Latin Language pg. 29, 30, unde minime mirum homines orientales, qui lapidem nostrum donaverunt, litteras I et ê inter se permutasse, cum sine ulla dubitatione melius Graece quam Latine scirent.

Oblatus est titulus intra annos 218—222.

Dacia.

153. *Celei.*

Gr. G. Tocilesco in opere sub n. 152 laudato pg. 187, n. 4.

Ara parva.

I. o. m. Dol. | Probus | 7 leg(ionis) et A|pollonia | eius v. s.

Raetia.

154. *Faimingen* prope *Dillingen.*

Postquam ex Bonner Jahrbücher XC (1887) pg. 168 cognovi in ephemeride „Jahresbericht des Historischen Vereins Dillingen" I tab. ectypum Dolicheni sacrum figuratum esse frustra, ut hanc ephemeridem mihi compararem, operam dedi. Cum tamen iuvenis mihi amicissimus Theodor Foerster Monachum (*München*) se contulisset, ut studiis liberalibus incumberet, eum precibus adii, num forte in hac Musarum sede non ita procul a *Dillingen* sita libellum a me expetitum reperire mihique brevem monumenti descriptionem suppeditare posset. Neque id amicitiae officium detrectavit. Et enim ei libelli consulendi copia facta est, litteras ad me dedit, ex quibus, quae e re esse videntur, subiciam:

„Die beiden Stücke [ex quibus ectypum nostrum compositum est] sind stark fragmentiert. Beiden Figuren fehlt der Kopf, der männlichen der rechte Arm u. die rechte Seite überhaupt.

Die männliche [contemplanti a sinistris, ut Foerster me altera epistula certiorem fecit], auf einem Stiere (wie auch mir deutlich erkennbar)

stehend, trägt in der linken Hand den sechszackigen Blitz; die Kleidung ist mir nicht erkennbar. Der rechte Fuss [spectanti opinor] od. richtiger Bein steht vorwärts gebeugt, nahe dem Nacken des Stieres, dessen Kopf fehlt, der linke mehr rückwärts.

Besser erhalten ist die weibliche Figur [spectanti a dextris] als Iuno Dolichena vermutet, die in der Rechten einen Spiegel tragen soll u. die auf einem Katzenartigen Tier, das auch ich als Löwin erkennen möchte, steht.

Die Arbeit der Figuren ist nicht slecht, die Haltung der weibl. von einer gewissen Hoheit, wenn auch (besonders durch die Gewandbehandlung) etwas steif."

Ectypum nostrum aptissime cum monumento n. 51 in Norico, quae provincia Raetiae adiacet, reperto comparandum est.

Roma.

Monumentum, quod utrum ad Dolicheni cultum pertineat necne, dubium.

155. Matz—Duhn, Antike Bildwerke in Rom. I pg. 6 n. 19.

„Via della Ferratella (Mag. Corvisieri), vgl. Stevenson, Ann. dell. Ist. 1877, 359 „alcuni torsi di animali diversi." Gefunden 1873 in den Ruinen des Lateranischen Palastes (?) östlich vom jetzigen later. Komplex in dem auf dem Plan Ann. a. a. O. T. mit p. bezeichneten Raume. Reste von einem Stier und einem Kalb, beide in L.gr. [= Lebensgrösse] und ein m. 0,77 hoher Tronk, an welchem sich ein traubenbeschwerter Weinstock hinanschlängelt, und durch welchen unten — durch ein Loch — ein Schlange sich windet [1]). Alle drei Stücke sind von gleichem Marmor und von gleicher Arbeit. Der Stier, in völlig ruhiger Stellung, ist bedeckt mit einem gewissermassen als Satteldecke dienenden Fell, und auf der Mitte derselben ist eine ziemlich grosze Stozfläche von elliptischen Form in deren Mitte wieder ein vertieftes Loch zur Aufnahme eines Dübels diente, welcher einen auf dem Stiere befindlichen Gegenstand festklammern sollte: letzerer kann mit den völlig intakten Seiten des Stieres in keiner Berührung gestanden haben, und somit tritt die Vermuthung sehr nahe, dass der Stier auf dem Rücken eine stehende Figur, d. h. den Jupiter Dolichenus trug, in solcher monumentaler Darstellung allerdings einzig. Merkwürdig bleibt dabei natürlich das ledige Kalb (welches auch ruhig stand und noch durch einen unter der Mitte des Bauches angebrachten runden Tronk mitgestützt wurde); eben so wenig weisz ich für den vorher beschriebenen Tronk eine sichere Verwendung. Auch der Fundort würde für Dolichenusmonumente bis jetzt einzig dastehen [2]). . . . . Es fehlen vom Stier wie vom Kalb: Kopf mit Hals, die vier Beine und der Schweif; die Arbeit ist noch recht gut."

[1]) Arbor cum angue etiam in monumento n. 4 invenitur, ubi tamen clavam inferiorem Aesculapii expressam esse coniecimus pg. 25; uva in tabula n. 28*b*. Truncus fortasse deum in tauro stantem sustinebat, cfr. nn. 66, 132. — [2]) Castra equitum singularium, in quibus lapides nn. 82, 83 effossi sunt, a parte fere adversa aedificiorum Lateranensium sita erant.

155, 156. Cum libellus meus iam prelum lacesseret, Carolus Tragau Vindobonensis litteris me docuit duo Dolicheni donaria satis ampla nuperrime Brigetione (Pannonia Inferior, cfr. n. 37) in lucem prodiisse, quorum utrique inscriptio incisa, alterum, in quo ipse deus conspicitur, e marmore perfectum auroque tinctum est. Quae monumenta quia mox a professore quodam Hungarico copiosius tractabuntur, hic memorasse satis sit.

THESES.

I.

Tetrastylum et Caesareum, quae in Actis Fratrum Arvalium commemorantur, unum et idem aedificium sunt, cuius imago reperitur in schedis Silvestris vel Sallustii Perutii, cfr. Chr. Hülsen, Eph. ep. VIII, pg. 343 et tab. II.

II.

A vulgo profano Mithras tauroctonus pro Sole habebatur.

III.

Arcana significatio sacrificii Mithriaci, quod dicitur, haec est: Mithras cum deo Persico ,,Saoshyant'' confusus novissimo mundi die taurum iugulat, ut mortuis vitam, corpus, animam restituat.

IV.

In monumentis Mithriacis nonnulla elementa inveniuntur e fabula Persica sumpta, qua narratur, ut taurus primigenius, Ahrimanii artibus occisus, ipsa morte omnium animalium et plantarum causa primaria extiterit.

V.

Sol et Luna in angulis superioribus ectyporum Mithriacorum expressi non solum auroram cottidianam repraesentant, sed mystis etiam diem mundi supremum in mentem revocabant, cfr. James Darmesteter, Ormuzd et Ahriman pg. 239.

VI.

Cicero, Cato maior 71:

,,et quasi poma ex arboribus, cruda si sunt, vix evelluntur, si matura et cocta, decidunt'' cett.

,,vix evelluntur'' corruptum videtur ex ,,vi avelluntur.''

VII.

Sophocles, Electra v. 145 seqq. (ed. G. Kaibel):

νήπιος ὃς τῶν οἰκτρῶς . . . . .
οἰχομένων γονέων ἐπιλάθεται.
ἀλλ' ἐμέ γ' ἁ στονόεσσ' ἄραρεν φρένας,
ἃ Ἴτυν, αἰὲν Ἴτυν ὀλοφύρεται,
ὄρνις ἀτυζομένα, Διὸς ἄγγελος.

,,Ἄραρεν'' (v. 147) significat ,,consolidavit, confirmavit,'' non, quod et Nauck et Kaibel censuerunt ,,placuit.''

VIII.

Sophocles, Electra v. 266 seqq. (ed. G. Kaibel):

ἔπειτα ποίας ἡμέρας δοκεῖς μ' ἄγειν,
ὅταν θρόνοις Αἴγισθον ἐνθακοῦντ' ἴδω
τοῖσιν πατρώιοις, εἰσίδω δ' ἐσθήματα
φοροῦντ' ἐκείνωι ταὐτὰ καὶ παρεστίους
σπένδοντα λοιβὰς ἔνθ' ἐκεῖνον ὤλεσεν,
ἴδω δὲ τούτων τὴν τελευταίαν ὕβριν,
τὸν αὐτοφόντην ἡμὶν ἐν κοίτηι πατρὸς
ξὺν τῆι ταλαίνηι μητρί — μητέρ' εἰ χρεὼν
ταύτην προσαυδᾶν τῷδε συγκοιμωμένην.

V. 270 legendum est ,,ἔνθ' ἐκεῖνος ὤφελεν'' comparatis vv. 193 seqq..

IX.

Fragmentum ex catalogis Hesiodeis ab Udalrico de Wilamowitz-Moellendorf editum (Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1900, pg. 840) Fredericus Blass hunc fere in modum supplendum esse censet (Hermes, Band 36, Heft 1, Miscellen pg. 157):

Τηλόθεν ἐκ Κρή]της ἀγὸς ἀνδρῶν αἰχμητάων
ἵκετο Μηριόν]ης πάντων ἀριδείκετος ἀνδρῶν
τοξάζεσθαι ἐκ]άς τε καὶ ἔγχεϊ ὀξύοεντι
ἐκπρολιπὼν Κνωσ]οῦ λιπαρὴν πόλιν εἵνεκα κούρης
Ἀργεΐης, ἣ εἶδ]ος ἔχε χρυσῆς Ἀφροδίτης
. . . . . .]ν Χαρίτων ἀμαρύγματ' ἔχουσαν
] Τυνδάρεω βασιλῆος
]ροισι δόμοις . . . . . κυανῶπις

Vv. 4, 5, 6 probabilius sic explebuntur:

ὅστε λιπὼν Κνωσ]οῦ λιπαρὴν πόλιν εἵνεκα κούρης
vel ὃς προλιπὼν κ. τ. ε.
μνᾶθ' Ἑλένην, ἣ εἶδ]ος ἔχε χρυσῆς Ἀφροδίτης
καλὴν Ἀργεΐη]ν, Χαρίτων ἀμαρύγματ' ἔχουσαν

Neque placet lectio versus 3, quem supplevissem:

ἱπποσύνῃ (τ' ?) ἐκέκ]αστο καὶ ἔγχεϊ ὀξυόεντι
vel αἰγανέῃ (τ' ?)
vel τόξοισίν τ'

nisi v. d. C. Robert litteris me docuisset in papyro clare . . . .]αστε scriptum esse,

In versus 2 initio fortasse Λυκομήδης Κρής commemorabatur, quem inter Helenae procos nominari testantur scholia codicis Townleyani ad Τ 240 (cfr. de Wilamowitz l.l. pg. 847); legendum:

ἦλθε Λυκο(μ)μήδ]ης πάντων ἀριδείκετος ἀνδρῶν.

X.

Thucydides VIII, 1, 3 (ed. van Herwerden):

ὅμως δ' ὡς ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ἐδόκει χρῆναι μὴ ἐνδιδόναι, ἀλλὰ παρασκευάζεσθαι † καὶ ναυτικόν, ὅθεν ἂν δύνωνται ξύλα ξυμποριςαμένους καὶ χρήματα κ. τ. ἑ.

Inter *παρασκευάζεσθαι* et *καὶ* editores plerumque lacunam statuunt, quam alius alium in modum explere conatur. Quod tamen vix opus esse videtur, si leni manu corrigas: *καινὸν ναυτικόν*.

XI.

Xenophon, Hellenica I, 7, 8:

Μετὰ δὲ ταῦτα ἐγένετο Ἀπατούρια, ἐν οἷς οἵ τε πατέρες καὶ οἱ ξυγγενεῖς ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς.

Πατέρες errore manifesto scriptum est pro: *φρατέρες*.

XII.

Plato, Apologia pg. 26 D (ed. Schanz, 1893):

[Ἀναξαγόρου] οἴει κατηγορεῖν, ὦ φίλε Μέλητε, καὶ οὕτω καταφρονεῖς τῶνδε καὶ οἴει αὐτοὺς ἀπείρους γραμμάτων εἶναι, ὥστε οὐκ εἰδέναι ὅτι τἀναξαγόρου βιβλία τοῦ Κλαζομενίου γέμει τούτων τῶν λόγων. καὶ δὴ καὶ οἱ νέοι ταῦτα παρ' ἐμοῦ μανθάνουσιν, ἃ ἔξεστιν ἐνίοτε, εἰ πάνυ πολλοῦ, δραχμῆς ἐκ τῆς ὀρχήστρας πριαμένοις Σωκράτους καταγελᾶν, ἐὰν προσποιῆται ἑαυτοῦ εἶναι, ἄλλως τε καὶ οὕτως ἄτοπα ὄντα.

Er worden hier blijkbaar tekstboekjes bedoeld van komedies, waarin Socrates ten tooneele werd gevoerd.

XIII.

Nietzsche's beoordeeling van Socrates als plebejer en decadent is, hoewel niet geheel rechtvaardig, grootendeels juist.

XIV.

De houding van Theramenes in het veldheerenproces na den slag bij de Arginussae is onverdedigbaar.

XV.

Het bekende archaïsche inschrift, dat voor twee jaar op het Forum Romanum werd gevonden, heeft ongetwijfeld betrekking op de Rostra.

XVI.

Het rekenen met Olympiaden en jaren sedert de stichting van Rome veroorzaakt in moderne geschiedwerken noodelooze moeite.

XVII.

De stichting van Philologische seminariën aan onze Universiteiten is zeer wenschelijk.